

DE

GENETIVI APUD PLAUTUM USU

DISSERTATIO ACADEMICA


QUAM

VENIA AMPLISS. PHILOS. ORDINIS ACADEMIAE ALEXANDREAE

PUBLICE DEFENDET

A. W. BLOMQVIST
MAG. PHILOS.

EX OFFICINA HEREDUM



DE

GENETIVI APUD PLAUTUM USU

DISSERTATIO ACADEMICA

QUAM

VENIA AMPLISS. PHILOS. ORDINIS ACADEMIAE ALEXANDREAE

PUBLICE DEFENDET

A. W. BLOMQVIST

MAG. PHILOS.

in auditorio hist. philol. die XXII m. decembris 1892
h. a. m. s.



HELSINGFORSIAE

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA J. SIMELII HEREDUM

1892

GATHER

De genetivi[1]) apud Plautum usu disputanti mihi iusto muneri satisfacere videor, quoniam non desunt causae, quibus impulsus sum, ut denuo in hanc rem inquirerem ab aliis ante tractatam. Exstant enim praeter notissima Holtzii et Draegeri opera, quibus permulti continentur genetivi Plautini, dissertationes *A. Schaaffii* De genetivi usu Plautino (Halis Saxonum 1881) et *E. Lochii* De genetivi apud priscos scriptores latinos usu (Bartenstein 1880), quorum ille scriptor perspicuitati melius consuluit, hic in rebus enarrandis accuratior est. Neque tamen utercumque horum libellis suis omnia absolvit exempla. Neque in singulis genetivi generibus recte egisse videbantur, neque satis mihi faciebant ad ipsam genetivi casus naturam atque indolem cognoscendam.

Equidem cum in difficilem quaestionem, quae est de origine genetivi latini, me abdidissem, accurate expositos omnes eius usus mox desiderabam; et cum inter nostrae aetatis viros doctos illam opinionem praevalere viderem, genetivum inde ab initio adnominalem fuisse casum, hunc ipsum usum, in latino sermone iam corroboratum, summo opere cupiebam pervestigare. Quare primum omnium decrevi scriptorem latinum eligere, qui et sermonis elegantia excelleret et linguae vetustatem aliquam retineret. Quibus in rebus nullum Plauto praeferendum duxi. Nam quamquam

---

[1]) Genetivum per *e* scriptum optimos codices saeculi VI et proximorum exhibere docet Lachmann ad Lucr. I 1, p. 15. — Cfr. Ritschelii opusc. II p. 782.

non defuerunt quibus minus ille auctor placeret [1]), non iniuste mihi videbantur veteres scriptores, quorum iudicium minime est spernendum, eum laudibus extulisse [2]). Est enim sermo Plauti et simplex et sincerus et ubi a Cicerone differt multo plus videtur vetustatis quam barbarismi habere; comoediae eius, quibus res e media vita petitae tractantur, perfectam praebent imaginem sermonis cotidiani, qualis prisca aetate erat, idque eis qui linguae student fructui potius quam damno esse oportet. Sperabam igitur genetivo Plautino quam possem diligenter explorato aliquid novi a me allatum iri, quod ad universam huius casus rationem exponendam idoneum esset. Quare quamquam in hac dissertatione singulos usus describendi partes potissimas vel solas esse meas existimabam, de rerum quae adferendae erant ordine cum mihi non placerent tradita grammaticorum praecepta, ut meliora, si fieri posset, reperirem, universam illam de genetivi origine quaestionem ne nunc quidem mihi prorsus reiciendam intellegebam.

Iam diu inter viros doctos de vera genetivi natura contentio est, neque adhuc ea res diiudicata est. Alii in loci notionibus originem eius repperisse sibi videbantur, alii grammaticum, ut aiunt, adnominalemque eum esse malebant; et quamquam nostra aetate haec sententia pervulgata est, sunt tamen qui illam amplectuntur. Vetustiores grammatici nonnulli separativam notionem genetivis plerumque tribuebant, nunc qui localem naturam ei inesse censent locativam maxime vim esse contendunt. Qua in re prae-

---

[1]) Gravissimum iudicium de eo fecit Deecke in libro, quem nuper edidit, Beiträge zur Auffassung der lateinischen Infinitiv-, Gerundial- und Supinum-Konstruktionen (Mülhausen i. E. 1890).

[2]) Cfr. Ussingii Proleg. p. 146.

ter ceteros longe progressus est Bell, qui plurima genetivi latini genera initio aut locativa fuisse, aut per analogiam horum genetivorum orta esse ostendere conaretur [1]). Et quamquam in lingua latina veram locativi speciem quidam genetivi prae se ferunt, *domi, belli, ruri,* cet. — quos cum inter omnes constet locativos esse ex has disquisitione omnino seclusi — non plurimos ac ne multos quidem genetivos locativo sensu explicandos esse concesserim.

Neque vero ex adnominali notione omnes quo modo orti sint genetivi intellegi potest, quamvis artificiosis usi explicandi rationibus grammatici eam rem tentarunt. Quod cum mihi iam pridem persuasum haberem, ad tertiam illam sententiam quasi necessario delatus sum, quam vel ea quae cum ablativo est genetivi similitudine commendari appareret. Hac in re animum attendi in etymologiam quoque, sperans ex formarum ratione aliquid de origine genetivi concludi posse. Ubi cum vidissem varias esse formas huius casus, quae ad unam referri non possent, venit mihi in suspicionem potuisse fieri ut singulis formis ab initio variae notiones inessent. Quare quae collegeram exempla constitui ita disponere, ut quantum fieri posset solito syntaxeos ordine non turbato formarum quoque ratio pateret. Quamquam, qualis nobis notus est sermo latinus, de ea re vix quidquam certi proferendum videtur, nec ego mihi hoc adrogavi. Verum omnino cum de his rebus plene disserendi hic locus non sit — neque enim propter angustos fines huius libelli et exemplorum magnum numerum poteram sine perspicuitatis detrimento singulosque locos omnes congerere et universam rem

---

[1]) De locativi in prisca latinitate vi et usu (Vratislaviae 1889). Locativum in graeca lingua esse genetivum probare voluit Heilmann (De genetivi graeci, maxime Homerici usu).

explicare — paucis tamen quid sentiam explanabo, sperans fore ut data potestate ad omnem genetivi usum denuo redeam.

Primum id mihi persuasum est in genetivo et latino et aliarum quae cognatae sunt linguarum primitus infuisse separativam notionem, verum quam late patuerit, pro certo constituere nequeo. Neque quasdam genetivi latini formas nego adiectivo vel adnominali usui ex initio inservisse, quamquam ne id quidem pro certo adfirmaverim. Verum ex adnominali illa genetivi notione non potest explicari adverbialis usus; ex separativa notione genetivos non solum adverbiales, verum multos etiam adnominales ortos esse multo facilius intellegitur. Cuius sententiae nullam refutandae vim habet quod contra separativam genetivi notionem adferri solet argumentum, alium inveniri casum ablativum, quo illa significatio exprimatur, neque potuisse simul alterum casum ad eanden rem adhiberi. Quod quam parum cum sermonis humani natura consentiat, et ex aliis omnibus fere linguis et ex latina lingua perspicitur, ubi plerumque antiquiore praesertim aetate multis et variis vocum formis simillimae res exprimuntur. Neque in separativa loci notione significanda illam formarum copiam abundantem latinis gentibus defuisse et per se verisimile est, et testantur adverbia, quae in *-tus* exeunt, haud ita pauca. In fennica lingua — in tali enim re ne eam quidem dubito, quamvis cum latina non cognatam, ad comparationem admittere — etiam nunc vel tribus in casibus separativa notio perspicua est: in „partitivo", qui in antiquioribus vocabulis vere localis est, „ablativo", „elativo", qui omnes tum genetivo tum ablativo latinis respondent.

His igitur rationibus et aliis argumentis, quae proferre huius loci non est, sum adductus ut et aliter quam fieri solet genetivorum genera digererem et a b l a t i v i usus Plautinos adderem, ubi cum genetivis comparatos toti quaestioni

lucem putarem adferre. Etiam in singulis genetivorum generibus constituendis, quae quidem est res lubrica difficilisque, grammaticorum rationibus, diversis praesertim et dubiis, non semper acquievi et quid verum esset, quid „simplex et unum“, ut ait Horatius, excogitare ipse conatus sum. Qua in re nihilo minus, aut ego egregie fallor, et commoditati legentium et perspicuitati satis consultum est. Utut se haec res habet, non facile id committere in animum induxi, ut res per se simillimas disiungerem, modo ne adnominalem illam genetivi explicationem laederem, quam qui probarent dissimillima quaeque in unum cogere nonnumquam vidissem.

Prologos fabularum Plauti omnes ad genetivos describendos adhibui, praesertim cum qui Plauti essent, qui non essent prologi, non satis cognitum crederem et ex ipsa omnium genetivorum comparatione aliquatenus cognosci posse videretur. Fragmenta autem omnia ut colligerem, mihi non contigisse doleo. Omnino et libros mihi quosdam defuisse et multa me fugisse facile ignoscet qui penitus perspexerit totius operis difficultatem.

In locis Plautinis adferendis his usus sum editionibus:

T. Macci Plauti Comoediae, recensuit, instrumento critico et prolegomenis auxit Fridericus Ritschelius, sociis operae adsumptis Gustavo Loewe, Georgio Goetz, Friderico Schoell. Cuius operis editionem alteram *(Trinummi* tertiam) secutus sum, a Loewio, Goetzio, Schoellio recognitam, tom. I, II, III, IV (fasc. I—II), Lipsiae 1878—1890, quibus septendecim continentur fabulae: *Trinummus Epidicus Curculio Asinaria Truculentus Aulularia Amphitruo Mercator Stichus Poenulus Bacchides Cap-*

tivi Rudens Pseudolus Menaechmi Casina Miles; in *Persa* fabula priore editione sum usus. Quae restant fabulae, earum ex recensione Lorenzii *Mostellariae* editionem alteram (Berolini 1883), ex Ussingii *Cistellariam* (Hauniae 1887) secutus sum.

Ceterum diligenter consului has editiones:

T. Macci Plauti comoediae, recensuit et enarravit J. L. Ussing (Hauniae 1875—1887; *Miles gloriosus* et *Mercator* ed. altera a. 1892).

Ausgewählte Komödien des T. M. Plautus, für den Schulgebrauch erklärt von Julius Brix: *Menaechmi* (Leipzig 1880), *Trinummus* (Leipzig 1879), *Miles gloriosus* (Leipz. 1883), *Captivi* (Leipz. 1884).

Ex Lorenzii editione praeter Mostellariam *Militem gloriosum* (Berlin 1886), *Pseudolum* (Berlin 1876) adhibui.

De ceteris libris suis locis mentionem faciam.

Multum me in hoc opere adiutum esse ingenue profiteor et ab iis quos ante me de genetivo Plautino scripsisse dixi, quamquam aliquotiens ab iis recessi, et iis quae a P. Langeno et in studiis Studemundianis de Plauti sermone disputata sunt.

Conspectus genetivorum Plauti.

De formis genetivi Plautinis.

Sermo Plauti non solum syntactica, verum etiam etymologica ratione haud ita raro ab ea dicendi consuetudine differt, quae erat scriptorum latinorum aureae aetatis. Quare operae esse pretium mihi visum est, priusquam ad ipsum usum syntacticum exponendum accederem, nonnulla etiam de formis genetivi Plautinis disserere, atque id eo magis quod ne in hac quidem quaestione syntactica formarum rationem totam neglexi. Itaque ne quid praetermittam, suffixa genetivi casus quae apud Plautum inveni omnia enumerabo atque quibus quodque stirpibus sit additum exponam.

-i, quod suffixum genetivi singularis apud Plautum longe usitatissimum est, praeter stirpes quae in *-o* exeunt adsumunt ea quoque substantiva quartae declinationis, quae nominativum in *-us* proferunt. Aul. 722 *tantum gemiti;* Pseud. 608 *procurator peni;* Trin. 254 *raptores panis et peni;* sed huius substantivi alii quoque casus ad similitudinem substantivorum secundae declinationis formantur. Aul. 83 *nil est quaesti;* Most. 1107; Pers. 66 *sui quaesti causa;* Poen. 95; Cas. 536 *senati columen;* Epid. 189; Cas. 425 *sumpti fecerim;* Trin. 250; Cas. 649 *quid tumulti;* Poen. 207; Capt. 855 *tui cottidiani uicti uentrem.* — Contractis duobus *i* genetivum in *-i* proferunt ea quoque substantiva, quorum stirpes in *-io* exeunt, licet ex graeco sermone sumpta sint, velut Stich. 305 *facta Talthybi;* Bacch. 427 *gymnasi praefecto* [1]); quam-

[1]) Itaque lectio codicis A Mil. 271 *nam illic est Philocomasii custos* minus placet quam *Philocomasio*, quod in ceteris est. Et Mil. 1431 *Philocomasio amator* dativum praebet etiam A.

quam in aliis libris manuscriptis Plautinis duo *i* saepe inveniuntur [1]. Adiectivorum vero, quae similiter cadebant, genetivos duobus *i* finire solitos esse veteres scriptores satis notum est; cuius formae ut apud Plautum nullum exemplum invenias, casu factum est. — Deinde in *-i* exeunt genetivi nonnulli substantivorum tertiae declinationis, praesertim si nomina propria sunt ex graeca lingua desumpta. Bacch. 938 *in busto Achilli;* Epid. 29 *arma Stratippocli;* Pers. 2 *aerumnas Herculi* [2]; Rud. 86 *Alcumena Euripidi;* Trin. 744 *aduentum Charmidi.* Capt. 975 *est pater Philocratei* edidit Schoell, *Philocrati* maluit scribi Fleckeisen, *Philocratis* vero in codd. est. — In his quae sequuntur exemplis cum difficile sit diiudicare, utrum genetivus an dativus (ablativus) potius sit statuendus, conferas velim quae de quoque eorum suo loco infra disputabimus (genet. poss.). Capt. 528 *sodalis Philocrati et cognatus;* Epid. 32 *prognatust Theti* (cfr. Cas. 398 *Herculei prognatis*); Poen. 444 *qui Sphingi interpres fuit;* Rud. 761 *is Venerist aduorsarius;* Pseud. 989 *Polymachaeroplagidi nomen* (genet. defin.). Latina nomina *-s* finale suppresserunt Pseud. 748 *plebi scitum* [3] et *frugi,* quod saepissime apud Plautum invenitur (v. infra genet. qualit.). Trin. 915 *O est principium nomini* pro dativo haberi potest. — Tum Mil. 386 *Palaestrioni somnium narratur* formam, quam praebent omnes libri manuscripti, *Palaestrioni* in *Palaestrionis* commutaverunt editores Dousam secuti; Buecheler vero [4] *-s* omisit. Idem sive in initio versus senarii Bacch. 574 *milítis qui amicam sécum auexit éx Samo,* sive in extremo septenario Amph. 411 *Sósia Amphitruónis sum* genetivi *-s* si non in scribendo, at certe in pronuntiando omissum esse animadvertit. Denique hoc suffixum in pronominibus

---

[1]) Cfr. quae de hac scribendi ratione disputavit Neue Formenlehre der lat. Sprache I p. 85 sqq. (Berlin 1877).

[2]) Nonnulli libri manuscripti hic praebent formam *Herculis.*

[3]) Cfr. Schweizer-Siedler u. Surber Grammatik der Lateinischen Sprache § 118 (Halle 1888), et Neue Formenlehre I p. 380 de formula *ex lege plebive scito.*

[4]) Précis de la declinaison latine, trad. par M. L. Havet p. 101 (Paris 1875).

pro *-ius* nonnumquam adhibuit Plautus (v. infra). — *ei* pro *i*, qua scribendi ratione saepius usus est Plautus, in genetivo quoque paucis locis occurrit[1]). Rud. 699 *opera Neptunei* ex BCD; Ussing vero *Neptuni* scripsit (v. 689). Merc. 784 *sei quid damnei*[2]) *facis.* Quin etiam substantiva neutrius generis, quorum nominativus in *-ium* desinit, similem genetivum habuisse videntur, siquidem Mil. 558 *hominem minumi pretei* ex A (quamquam teste Studemundo ultima littera dubia est) scripsit Goetz pro *pretii,* quod in aliis libris est. Item Cas. 594 *minumi pretei* scripsit Schoell.

-ai suffixo saepius terminata sunt substantiva primae declinationis, quae in *-a* exeunt. Nam quamquam in codicibus qui nunc exstant Plautinis vix ullum vestigium huius formae reperias, non sine causa viri docti his locis illam pristinam formam restituerunt: Trin. 492 *uatillum animai* (ita cum Rizio Hermann); Poen. 432 *quantum aquaist* (Bentlei, Lachmann); Amph. 367 *audaciai columen* (Camerarius); Cas. 30 *comoediai nomen* (Pareus, Gruterus); Poen. prol. 51; hic libri BC genetivum *comoediai* commendant. Mil. 84 *comoediai argumentum* (Scioppius); Amph. 359 *huius familiai familiarem* (Bentlei); Merc. 824 *(salute)*; ib. 834 *(Lar pater)*; Aul. 295 *filiai nuptiis* (Scaliger); ib. 372; ib. 540; ib. 797; Amph. 821 *inpudicitiai captas* (Gruterus); Pseud. 98 *libellai spes* (Ritschl); Pers. 409 *pecuniai accipiter*[3]); Mil. 1154 *siluai satis* (Bothe); Merc. 241 *uxoris simiai dotem* (Mueller); Pers. 244 *tippulai pondus* (Ritschl); Mil. 237 *plus sapientiai* edidit Brix, *sapientiae* Goetz (236). De Stich. 537 *iam istoc morai minus erit* (Lachmann) vide infra genet. part. — Similiter adiectiva in genetivo desinunt Mil. 103 *is publice legatus Naupactum fuit magnai rei publicai gratia,* quod videtur Plautus dixisse stilum forensem alludens[4]).

---

[1]) De ceteris exemplis, quae in prisca latinitate inveniuntur, adeas velim Buechelerum l. l. p. 118.

[2]) Ita A, ceteri (BFZ) *i* habent.

[3]) Hoc Bentleium secutus edidit Ritschl; *pecuniae* codd. habent, *pecunias* hiatus evitandi causa mavult Buecheler l. l. p. 105.

[4]) Cfr. Buecheler l. l. pp. 105 et 108.

Aul. 121 *meai fidei tuaique rei causa.* — In nominibus propriis idem suffixum invenitur Bacch. 307 *sacerdos est Dianai Ephesiae,* ubi Buecheler *Dianas* proposuit (p. 105); ib. 312 *in eapse aede Dianai.* Graeca nomina propria similiter cadunt Epid. 246 *Periphanai filium;* ib. 508, 635 *(filiam)* [1]; Trin. 359 *Charmidai filio;* Poen. 1045 *Antidamai adoptaticium;* ubi cum A *Antidamati,* reliqui *Anthidamarchi* praebeant, etiam Brix (ad Trin. 359) hanc Bothii lectionem dubiam esse censet (cfr. Poen. 1047 *Antidamae gnatum,* ib. 1042).

-**ae** solitum suffixum genetivi singularis substantiva primae declinationis ceteris locis habent.

-**ei** suffixum genetivi singularis in quinta declinatione usurpatum supra vidimus in secunda quoque inveniri. — De Epid. 51 *vilei* cfr. infra genet. pretii.

-**e** pro *-ei* ad genetivum dativumque formandum in quinta declinatione ab antiquis scriptoribus adhibitum esse notum est. Atque etiam a Plauto his locis genetivum ita scriptum esse verisimile est, quamvis libri manuscripti aliam formam praebeant: Capt. 800 *faciam ut huius dié locique méique semper mémínerit;* ubi Bothe *die* restituit (*diei* libri). Item Aul. 617 *in fano Fide;* nam teste Charisio Plautus genetivo dixit *fide* (v. Brix ad Trin. 117). — Sed Mil. 1172 *faciem, pulcritudinem conlaudato,* ubi cum et A et ceteri codices *faciem* exhibeant, Bothii emendationem *facie* recte reicit Goetz (Brix, Ussing). Idem Pseud. 1158 *uides iam diem multum esse* ex A scripsit, ex B autem *die* Ritschl [2]). Ceteris locis, quos adfert Brix ad Trin. 117, dativus in *-e* desinit.

-**as** vetus est suffixum genetivi singularis, a Plauto positum Amph. 831 *matrem familias;* Merc. 405, ib. 415; Stich. 98 *matres familias,* ubi prisca illa forma genetivi singularis retinetur, quamquam in plurali numero apparet *matres.* Haec genetivi forma in BF invenitur etiam Amph. arg. II, 1 *amore captus Alcumenas* et restituta est Amph.

---

[1]) *Periphanai* Bothe, *perephani* JFZ.

[2]) Cfr. Buecheler l. l. p. 114.

872 *Alcumenas innocentiae.* — Denique hanc forman Buecheler maluit inferre Bacch. 307 et Pers. 409 (v. supra *-ai*).

*-es num in genetivo singulari pro *-ei* posuerit Plautus, valde dubium est. Duobus enim locis, quibus hanc formam statuerunt nonnulli, lectio codicum aliter videtur explicari posse. Pseud. 477 *paruast ei fides* edidit Goetz, Ritschelium et Muellerum (Add. ad pros. p. 8) secutus (cfr. Pseud. 467), Fleckeisen propius ad codicum scripturam *parum ste fides* accedens *parumst ei fides* scribi maluit; quam formam genetivi, cum nimis incerta videretur, Ussing in *fidei* vel *fide* commutandam esse censuit. Pers. 244 *neque tippulai leuius pondust quam fides lenoniae;* ita enim scripsit Ritschl casum genetivi ut accuratiorem desiderans (Dacier *fide lenoniae*), quod in libris est *fides lenonia* retinuit Ussing [1]) (v. infra genet. poss. *pondus,* et cfr. ceterum Neue Formenl. I p. 378, Buecheler p. 112).

-is in genetivo singulari tertiae declinationis Plautus sicut alii scriptores usurpavit. Sed interdum extremam litteram *-s* abici solere supra ostendimus, ut quasi in secundam declinationem transiisse illa nomina videantur. Dubitationem vero adfert ea scribendi ratio, qua verbum *esse* cum genetivo in unum contrahitur, velut Mil. 997 *quae huius cupiens corporist*; Poen. 315 *paullum sordist;* Rud. 761 *is Venerist aduorsarius;* Aul. 448 *plus mercedist opus* (cfr. Buecheler p. 102).

Neque id tacite praetereundum est, quod addita *t* littera stirpes horum substantivorum nonnumquam produci possunt [2]), velut in Plauti Most. 560 *Philolachetis eccum seruom* pro *Philolachae,* quod invenitur ex. gr. ib. 374 *pater*

---

[1]) Amph. 555 *ut tuis parum sit apud te fides,* qualem hunc locum Draeger adfert, Historische Syntax I § 199, 3, libri *nulla* pro *parum* exhibent (v. infra sub genet. part. *parum*).

[2]) Cfr. Buecheler p. 116, ubi ex Plauto duo alia adferuntur nomina propria, quae addita littera nasali *n* producuntur (*Soterinis* et acc. *Archilinem* ex nominativo *Archilis* formatus).

aduenit peregre Philolachae (cfr. supra Poen. 1045 *Antidamati*).

tis genetivus singularis pronominis personalis paucis locis apud Plautum invenitur. Mil. 1033 *quia tis egeat;* Trin. 343 *ne tis alios misereat;* Bacch. 1201 *ne tis quam mea* (sc. opera) *mauellem* [1]). Pseud. 6 *mei te rogandi et tis respondendi mihi* (de quo loco cfr. infra genet. gerundii); Truc. 109 *scis tis spoliis me haud mentiri* (de quo videas infra genet. poss.) [2]). Ceterum genetivus singularis pronominum personalium solito more formatur *mei, tui, sui,* neque umquam Plautus formas *mis* et *sis* usurpavit.

*-us, quod in quarta declinatione solitum suffixum est genetivi singularis, num omnino adhibuerit Plautus, satis certum non est. Nam quod Pseud. 1197 *nihil est hodie hic sucophantis quaestus* dicitur, alii aliter interpretati sunt. Simplicissima, ut videtur, explicandi ratio ea est, qua *quaestus* quasi genetivus partitivus ex *nihil* pendere putatur. Sed multis hoc displicuit, cum ceteris locis omnibus Plautus genetivo *quaesti, tumulti,* cet. (v. supra p. 1) dixerit. Itaque Lorenz et Loch [3]) *nihil* negationem ad vocabulum *hodie* (sic!) referendam esse et *quaestus* in nominativo positum putant.

In secunda quoque declinatione veteres interpretes hoc suffixo Plautum uno loco usum esse putabant: Capt. 826 *tantus uentri conmeatus meo adest in portu cibus; cibus* enim illi pro genetivo habebant, quod pro nominativo potius habendum est (cfr. Brixii adn. ad h. l.).

-ius suffixum est genetivi singularis in plerisque pronominibus et nonnullis adiectivis, *ullus, nullus,* cet. pervulgatum. Sed praeter hanc formam Plautus nonnumquam genetivum in *i* desinentem inducit, qua de re accurate dis-

---

[1]) Ita Schneider aliique scripserunt; pro *tis* (in libris *is*) Ussing *eius* scripsit locum corruptum ita sanari posse existimans.

[2]) Amph. 503 *tis taedeat* pro *distaedeat* Acidalius scribi voluit.

[3]) De genetivi apud priscos scriptores latinos usu p. 14 not. (Progr. Bartensteinense 1880).

putavit Luchs [1]). Itaque *quoi*, quod in libris est Trin. 1126 *quoi fides fidelitasque*, non videtur in *quoius* commutandum esse, quod fecit Ritschl. Eandem formam, quam praebet B Mil. 1081 *quoi filii tam diu uiuont*, genetivi esse verisimile est, quamquam per se dativus potest esse. Reliqui codices *cuius* habent. Most. 962 *quoi patrem Theopropidem esse opinor*, ubi A *cuius* habet, reliqui *quoi*, similiter explicavit Luchs (p. 344) [2]). Pers. 386 *quoiuismodi*, quod est in C, Luchs (p. 347) defendit, *cuiusmodi* quod A praebet ad sensum huius loci quadrare negans. Pseud. 741 *mel quoiuismodi* videtur scribendum esse vel *quoiquoimodi*, ut hic et Bacch. 400 *malus bonus quoiquoimodi* scribi voluit Ritschl (cfr. infra genet. qualit.). Ceterum multis locis, quibus codices *quoius* habent, pronuntiandum esse *quois* vel *quoi* ostendit Luchs (p. 345). Similiter ceterorum quoque pronominum genetivi in *-ius* desinentes contrahi solent. His autem locis genetivi etiam in codicibus *-i* littera terminati sunt: Truc. 930 *quae ames hominem isti modi;* Capt. 471 *uni subselli uiros*, quod in B est, et Stich 489 *uni subselli uirum*, quod ABCD praebent, defendit Luchs (p. 324); utroque loco *imi* pro *uni* ex Pii coniectura scripsit Ritschl (cfr. infra genet. qualit.). Aul. 129 *quod in rem esse utrique arbitremur* et Capt. 398 *istuc in rem utriquest maxume* Luchs l. l. recte, ut videtur, *utrique* genetivo dictum esse contendit. Idem genetivum potius quam dativum statuendum esse recte putat (p. 328 not.) Stich. 718 *nulli rei erimus postea* (v. infra genet. pretii). — De Truc. 48 *sin alter alteri potior est* v. infra sub genet. copiae et inopiae.

-um. Genetivum pluralem praeter substantiva et adiectiva tertiae declinationis, quorum stirpes in consonantem exeunt, saepe etiam substantiva et adiectiva secundae declinationis in *-um* proferunt. Itaque substantivum quod est *deus* in genetivo plurali praeter solitum suffixum *-orum*

---

[1]) Genetivbildung der Latinischen Pronomina, Studemund Studien I.

[2]) *quoique* i. e. *cuiusque* Ussing Cas. 503 (R² 524) pro *quiqui* edidit: *cum cibo suo quoique facito ut ueniant.*

saepissime *-um* exhibet, praesertim cum ad substantivum *fides* vel *virtus* additum quasi in formulam quandam (in qua cum genetivo *hominum* sive *maiorum* coniungi solet) transgressum sit. Iam exempla Plautina enumerabo. Curc. 694 *pro deum atque hominum fidem;* Epid. 580; Men. 1053 *tu clamabas deum fidem atque hominum omnium;* Aul. 166 *uirtute deum et maiorum nostrum dives sum satis,* quem versum hinc etiam in Capt. 324 posterius illatum esse animadvertit Ritschl. Mil. 676 *deum uirtute est* (=„Gott sei Dank" Brix); ib. 679 *deum uirtute dicam;* Pers. 391 *pol deum uirtute dicam et maiorum meum;* Trin. 346 *deum uirtute dicam, pater;* ib. 355 *deum uirtute habemus;* Amph. 841 *deum metum;* Poen. 253 *quae ad deum pacem oportet adesse;* Merc. 319 *id uei obtingit deum* [1]); Trin. 912 *deum me atque hominum pudet* (cfr. Bacch. 124 *deorum nomina;* Capt. 622; Mil. 736).

Genetivus *nummum* pro *nummorum* scriptus est Merc. 491 *mille nummum;* Rud. 1327; ib. 1406; Trin. 954, 959, 966, 970, 1003, 1139; Most. 357 *trium nummum causa;* Trin. 848; Men. 542 *duom nummum stalagmia;* Trin. 152 *nummum Philippeum ad tria milia* [2]); (cfr. Pseud. arg. II, 2 *nummorum indigus*). — Similiter *Philippum* pro *Philipporum* (sc. *nummorum* vel *nummum*) nonnullis locis scribitur. Bacch. 230 *mille et ducentos Philippum;* ib. 272 (cfr. infra genet. part.). Mil. 1061 *talentum Philippum huic opus aurist;* Trin. 1158 *mille auri Philippum dotis.* — Genetivus *medimnum* uno loco exstat, neque is in codicibus integer mansit: Stich. 587 *medimnum mille* (cfr. Muelleri Add. ad Pros. p. 144); uno loco etiam *modium* pro *modiorum,* quod est in CDFZ, ex B recepit Ritschl: Mil. 1064 *plus mi auri millest modium Philippi;* sed *modiorum* scripsit Schoell.

Tum genetivus in *-um* exit horum substantivorum: Most. 120 *parentes fabri liberum sunt,* sed sequenti versu *ei fundamentum substruont liberorum* (cfr. Men. prol. 59; Cist.

---

[1]) Capt. 863 *quoi deum* pro *quoi deorum* Fleckeisen.

[2]) De librorum lectione *nummorum* cfr. Brixii adn. ad h. l. et Langen Beitr. p. 87.

610); Truc. 763 *suppostrix puerum;* Men. 134 *nostrum salute socium* (cfr. Buecheler p. 139); Curc. 99 *omnium unguentum odos;* Poen. 701 *unguentum cheumatis;* Bacch. 878 *uerbum sat est;* Rud. 866; Truc. 644. Huc pertinere videtur etiam Asin. 153 *unum quodque istorum verbum;* Amph. 233 *fremitu uirum;* Pseud. 227 *deliciae summatum uirum;* Stich. 8 *de re nostra et uirum;* Poen. prol. 17 *scortum exoletum ne quis* genetivum statuit Acidalius *quis* ex BDZ scribens; facilius tamen videtur cum Ritschelio *quod* ex F scribere et *scortum exoletum* pro nominativo habere (v. infra genet. part. *quis*). Pseud. 1244 *superauit dolum Troianum* (nisi pro adiectivo habendum est *Troianum*). Men. prol. 26 *inponit geminum item alterum* potest pro accusativo *geminum* accipi. Quin etiam unum substantivum, cuius stirps in *-io* desinit, genetivo plurali in *-um* elatum esse censet Buecheler (p. 121): Mil. 865 *tu meam partem infortunium si diuidetur, me absente accipito tamen* (de quo loco cfr. infra genet. part. *pars*). Substantive usurpata adiectiva idem suffixum habent Trin. 241 *celatum indagator;* Amph. 841 *cognatum concordiam;* Rud. 199 *bonum relliquiae* ex coniectura Schoellii pro *bonorum.*

Ceterum adiectiva quoque eo modo in genetivo scripta inveniuntur: Pseud. 678 *centum doctum hominum consilia;* Trin. 152 *nummum Philippeum* [1]); ib. 965 *Philippum numeratum illius in mensa manu mille nummum;* ib. 1139 *mille nummum aureum.* 'Quin etiam participia similem habere genetivum ex eis exemplis, quae iam attulimus, apparet: Trin. 965 *numeratum* et Poen. prol. 17 *exoletum* (sed posterius incertum, v. supra). Cfr. infra genet. qualitatis etiam Stich. 383 *unguenta multigenerum multa,* quod pro *multum generum* dici Buecheler contendit (p. 141). In *-um* saepius exit genetivus pluralis pronominis possessivi *meus,* praesertim si substantivo *maiorum* additur: Cas. 418 *pietate maiorum meum;* Pers. 53 *quaestum maiorum meum;* ib. 391 *deum uirtute dicam et maiorum meum;* Pseud. 581 *maiorum meum*

---

[1]) De forma *Philippeum* pro *Philippum* cfr. Langen Beitr. p. 85 sqq.

fretus uirtute; Stich. 303 *benefacta maiorum meum;* (cfr. Pers. 55 *quisquam meorum maiorum*); Epid. 637 *meum parentum nomen;* Merc. 835 *meum parentum rem* (cfr. infra *nostrum* et *uestrum*). — Denique hoc suffixum unum substantivum quartae declinationis accepit Men. 177 *mille passum* et Truc. 334. — Prorsus singularis est forma *quoium* pro *quorum* Trin. 534 *quoium fuit alii exulatum abierunt alii emortui;* de quo conferas velim Buecheler p. 147.

-om in genetivo plurali paucis locis invenitur. Amph. 1121 *imperator diuom atque hominum;* Rud. prol. 9; Aul. 299 *diuom atque hominum clamat fidem;* Merc. 842 *diuom atque hominum quae spectatrix atque era eadem es*[1]. Pronomen possessivum *tuus* uno loco in genetivo plurali *-om* suffixo terminatum est: Poen. 1062 *tuom parentum nomina;* item nomen numerale *duo* Men. 542 *duom nummum stalagmia* (cfr. Pseud. 5 *duorum labori*). Itaque hoc suffixum nisi praecedente *u* aut *v* non ponitur[2].

-ium proprium est genetivi suffixum eorum nominum tertiae declinationis, quorum stirpes in *-i* desinunt; ea nomina, quorum stirpes in consonantem exeunt, genetivum *-um* suffixo finire supra diximus. Neque tamen constanter haec suffixa ita adhibentur, sed alterum alterius loco et apud alios scriptores et apud Plautum usurpari Buecheler p. 131 sqq. et Neue I p. 258 sqq. demonstrarunt. Sed multis locis codices Plautinos vitiosam lectionem exhibere apertum est, quibus correctis non multi restant genetivi, qui singulare quiddam habeant. Digni tamen sunt, qui commemorentur, hi genetivi: Pers. 420 *compedium tritor*; Pers. 418 *stabulum seruitutium,* quod et Ritschl et Ussing ediderunt Colerum secuti. Buecheler vero locutionem *victricia arma* comparans scripturam, quae in codicibus est, *seruitritium* vel *seruitricium* quasi adiectivum defendendam esse censet (p. 135). Et simile est, ut videtur, adiectivum Bacch. 40 *pol haud meretriciumst;* Cas. 585 *non matronarum officiumst, sed mere-*

---

[1]) *dium* B.

[2]) Cfr. Buecheler l. l. p. 129.

tricium[1]); Most. 190 *matronae, non meretriciumst;* quibus locis formam *meretricium* pro genetivo substantivi *meretricis* habere neque necesse est, si sententiae habetur ratio, neque verisimile, cum pluribus locis genetivum huius vocabuli *meretricum* esse constet (cfr. Bacch. 563 *meretricum copia;* Epid. 213 *meretricum numerus;* Truc. 889 *gloriae meretricum*). Pro vera genetivi forma *familiarium* nonnulli codices interdum praebent *familiarum.* Mil. 262 et 278 hanc formam BCD, illam A habet. Contra Most. 82 *paucorum mensum sunt relictae reliquiae* vera lectio est, non *mensium* nec *mensuum*, quod quidam codices praebent[2]). Ceteras huiusmodi formas, quae non sunt paucae, hic enumerare supersedeo, cum aptius mihi visum sit eas inter lectiones varias tractare.

-rum suffixum, quod in prima, secunda, quinta declinatione genetivo plurali inservit, nihil fere habet singulare, nisi quod in quinta declinatione raro usurpatur (in uno substantivo *rerum* apud Plautum) et nonnumquam in tertiam quoque invasit. Apud Plautum enim scriptum est Poen. 314 *pleni oculi sorderum* in cod. A, ceteri *sorderunt* habent (*sordium* Z); *sordorum* scripsit Geppert. Truc. 307 *duarum nucerum creduit* pro *rerum* edidit Schoell (v. infra genet. relationis). Neque id omittendum videtur, quod Plautus Trin. 425 *mille drachumarum tarpezitae olympico*[3]) dixit, non *drachmum,* quam formam apud alios scriptores usurpatam esse Neue I p. 20 ex Varrone ostendit.

Restat ut de genetivo plurali pronominum personalium et possessivorum, quae sunt *nostrum, uestrum* et *nostrorum, nostrarum, uestrorum, uestrarum* pauca disseramus[4]) (nam genetivi *nostri* et *vestri* apud Plautum non inveniuntur[5]).

---

1) Sic A, *meretricum* FZ.

2) Cfr. Neue Formenlehre I p. 260.

3) *Olympico* pro librorum *Olympicum* recte restituit G. Valla.

4) Cfr. Luchs in Studemundi Stud. p. 383 sqq.; Buecheler p. 145.

5) Nam quod Buecheler p. 145 nonnullis locis *nostri* pro *nostris* restituendum censet, velut Trin. 601 *postquam éxturbauit híc nos ex nostris aedibus*, parum credibile videtur. Hunc versum omissa *ex* praepositione emendavit Ritschl; alii aliter.

Illas apud aureae aetatis scriptores proprias esse formas genetivi pronominum personalium, hos pronominum possessivorum, notum est; sed apud Plautum hic usus constans non est, cum et plenior illa forma saepissime quasi genetivus pronominum personalium, brevior possessive usurpetur [1]); quod ex his exemplis propius cognoscitur. Forma *nostrum* substantive usurpata his locis invenitur: Amph. 1071 *nostrum quisquam;* ib. 1099 [2]); Poen. 527; Truc. 252 *quamque nostrum* [3]); Cas. 274 *nostrum uter;* Asin. 688 *utrumque nostrum.* Adiectivum attribuitur Capt. 397 *nostrum amborum uicem;* Poen. 283 *quom ornatum aspicio nostrum ambarum,* nisi forte adiectivum hoc loco est *nostrum.* Adiectivum possessivum est *nostrum* Aul. 166 *uirtute deum et maiorum nostrum;* Men. 134 *nostrum salute socium* (de quo cfr. Buecheler p. 139). Plenior forma *nostrorum* scribitur Poen. 540 *nemo nostrorum;* ib. 861; Amph. fragm. XIV *nostrorum uter.* — Substantive usurpatur *uostrum* Men. prol. 23 *quis uostrum;* ib. prol. 51; Trin. prol. 4; Men. 994 *quisquam uostrum;* Amph. prol. 27 *uostrum quiuis;* Stich. 674 *nemini uostrum;* Rud. 1145 *spes uostrum cognoscendum* (i. e. cognoscendorum). Plenior forma *uostrorum, uostrarum* usurpatur Aul. 321 *uter uostrorum;* Men. 1085 [4]); Most. 280 *pars uostrorum;* Stich. 141 *neutram uostrarum;* Pseud. 186 *quisquam uostrarum.* Adiectivum *omnium* attribuitur Amph. prol. 4 *res rationesque uostrorum omnium;* Pseud. 584 *inimicum meum atque uostrorum omnium* [5]). Ipsum *uostrum* adiectivum possessivum est pro *uostrorum* Mil. 174 *quis uostrum familiarium.*

---

[1]) Cfr. Lorenz ad Most. 280, Pseud. 4, 181, 563.

[2]) *nostrorum* F.

[3]) *nostrarum* Ussing.

[4]) *uostrorum* Gruterum secutus edidit Schoell, codicum *uostrum* retinuit Brix.

[5]) Cfr. Lorenzii adn. (563) „seltene Verwechselung für uostrum omnium“.



Genetivus copiae et inopiae.

Genetivus qui vocatur copiae et inopiae apud Plautum satis frequens et verbis et adiectivis adscribitur; quorum haec inveniuntur, quae regunt genetivum copiae.

complere. Amph. 1016 *corpus suom stupri conpleuerit;* ib. 470 *erroris ambo ego illos et dementiae conplebo;* Men. 901 *qui me conpleuit flagiti et formidinis.*

Ablativus apponitur Amph. 251 *uortentibus Telebois telis conplebantur corpora;* Cist. 122 *quiaque adeo me conpleui flore Liberi.* Dignus est qui animadvertatur etiam hic usus: Poen. 1179 *Arabus murrinus omnis* (acc.) *odor complebat.*

implere. Aul. 552 *qui mihi omnis angulos furum inpleuisti in aedibus;* Merc. 795 *suspicionum impleuit me indignissume*[1]*;* ib. 409 *impleantur elegiorum meae fores carbonibus;* ubi recte Ussing *carbonibus* pro ablativo instrumenti habet (addi, inquit, potuit „scriptorum"), prave Holtze[2], Ebrard[3] § 56, b, Schaaf l. l. p. 44 not. 1, hunc tamquam ablativum copiae ad verbum implendi retulerunt (cfr. infra Aul. 454).

Ablativus apponitur Cas. 123 *ego te implebo flagris;* Aul. 454 *postquam inpleuisti fusti fissorum caput,* quem locum et Loch et Schaaf suo uterque modo scripsit. Hic, qui Camerarium sequitur *fustibus istorum* scribentem, non dubito, quin recte *fustibus* quasi ablativum copiae cum verbo implendi construxerit (cfr. in priore exemplo *flagris*); ille vero, qui codicis scripturam retinet (*fusti fissorum* genetivum materiae esse censet p. 5), num *fusti* pro ablativo copiae apte habuerit (p. 30), du-

---

[1]) *suspicionum* praeeunte Dousa fil. Goetz, nescio qua de causa; libri *suspicione* (B *suspitionibus*), quod retinuit Ussing.

[2]) Holtze Syntaxis prisc. script. lat. I, p. 120.

[3]) Ebrard De Ablativi Locativi Instrumentalis apud priscos scriptores latinos usu (Lipsiae 1879).

bitari potest, nam instrumenti ablativus [1]) haud scio an potius sit, *fissorum* vero genetivus copiae. — Ad sententiam conferri potest etiam Aul. 412 *onustos fustibus.*

opplere semel tantum cum genetivo construitur. Truc. 523 *multo ecastor magis oppletis tritici opust granariis;* ubi Schoell scripturam, quam praebent omnes codices, *opus est tritici* in *opus est nunc* commutavit; quod num necessarium sit, valde dubito. Transposuit Bothe *tritici opust,* idque recepit Ussing.

Cum ablativo hoc verbum saepius ponitur. Aul. 84 *ita inaniis sunt oppletae atque araneis;* ib. 675 *Siluani lucus extra murumst auius, crebro salicto oppletus;* Pseud. 588 *me et simul participes omnis meos praeda onerabo atque opplebo;* Rud. 905 *iam meas opplebit auris uaniloquentia;* Truc. 522 *qui aedis spoliis opplebit tuas.* — His subiunctum velim

explere, quod omnibus locis ablativum adsumit. Asin. 405 *si quidem hercle Aeacidinis minis animisque expletus cedit;* Curc. 409 *istoc nomine dum scribo explevi totas ceras quattuor.*

replere. Poen. 701 *ibi ego replebo te usque unguentum cheumatis* [2]); ib. 1290 *ita replebo atra atritate eam.* — Ne *replere* quidem usquam invenitur cum genetivo coniunctum.

participare. Cist. 163 *paternum seruom sui participat consili.*

Conferenda sunt Mil. 263 *non potuit quin sermone suo aliquem familiarium participauerit de amica erili;* ib. 232 *auden participare* [3]) *me quod commentu's,* ubi *participare* cum obiecto construitur.

saturare. Stich. 18 *haec res uitae me, soror, saturant.*

Cum ablativo hoc verbum non invenitur constructum, ut est adiectivum

satur Poen. prol. 8 *saturi fite fabulis;* ib. 804 *extis sum satur factus probe.*

Cum genetivo nusquam, cum ablativo saepius coniunxit Plautus

onerare. Amph. 328 *onerandus est pugnis probe;* Capt. 465 *ita malignitate onerauit omnis mortalis mihi;* ib. 774 *ita hic me amoenitate amoena amoenus onerauit dies;* ib. 827 *cesso*

---

[1]) Cfr. Aul. 409 *ita me miserum et meos discipulos fustibus male contuderunt.*

[2]) Similis est forma ablativi Asin. 174 *neque scriptum in poematis.*

[3]) Coniectura Buggii.

hunc Hegionem onerare laetitia senem; Men. prol. 25 *onerauit nauim magnam multis mercibus;* Mil. 677 *onera te hilaritudine*[1]); ib. 903 *ecquid hic te onerauit praeceptis;* Pseud. 357 *onera hunc maledictis;* ib. 588 *omnis meos praeda onerabo atque opplebo;* ib. 764 *onerabo meis praeceptis Simiam;* Stich. 532 *nos potius oneremus nosmet uicissatim uoluptatibus;* ib. 639 *iam intus potione iuncea onerabo gulam;* Merc. 978 *quibus est dictis dignus, usque oneremus ambo,* ubi ablativus, quamquam ad *dignus* proxime pertinet, tamen etiam ad verbum onerandi quodam modo referendus esse videtur. — Cfr. Pers. 182 *eius aureis, quae sunt mandata, onerabo,* ubi onerare cum obiecto construitur.

Adiectivis genetivus copiae adscribitur his:

plenus. Aul. arg. II, 1 *aulam repertam auarus plenam auri Euclio ui summa seruat;* ib. 709 *exfodio aulam auri plenam;* ib. 821 *quadrilibrem, inquam, aulam auri plenam* (sc. repperi); ib. 622 *mulsi congialem plenam faciam tibi fideliam;* Epid. 152 *plenus consili's;* Mil. 90 *illest miles meus erus, ... stercoreus, plenus periuri atque adulteri, ait sese* cet.; ib. 1034 *face te fastidi plenum;* ib. 423 *te adloquor, uiti probrique plena;* Rud. 319 *ecquem recaluom ac silonem senem, . . . male malum*[2]), *uiti probrique plenum* (sc. uidistis); Most. 213 *illa hanc corrumpit mulierem malesuada uitique plena* (cfr. Lorenzii adn.); Poen. 1314 *tum autem plenior alli ulpicique quam Romani remiges;* Pseud. 380 *negoti nunc sum plenus;* Rud. 548 *marsuppium, quod plenum argenti fuit in sacciperio;* Bacch. 153 *nil moror discipulos mihi esse plenos sanguinis*[3]); Merc. 574 *ieiunitatis plenus, ... senex hirquosus, tu ausculere mulierem;* Mil. 512 *dedecoris pleniorem erum faciam tuom;* Poen. 255 *diem pulcrum et celebrem et uenustatis plenum;* ib. 246 *mulieres sunt insulsae admodum atque inuenustatis plenae*[4]); Rud. 651 *fraudis, sceleris, parricidi, periuri plenissumus* (sine verbo); Trin. 751 *ut adulescenti then-*

---

[1]) *hilaritudine* e Nonio Camerarius; *hilarissime* B.

[2]) *male malum* Schoell; *malum mali* libri.

[3]) Versum spurium habent et Guyet et Ussing; hic *plenos sanguinis* pro „adultis“ latine dici posse negat.

[4]) Ussing pro *inuenustatis plenae* scripsit *inuenustae,* sed versum suspectum habet. Hermann ablativum retinens, qui est in libris (D, F *in uenustate*), adiectivum *plenae* inseruit.

saurum indicem indomito, pleno amoris ac lasciuiae; Pers. 507 *urbem in Arabia, plenum bonarum rerum atque antiquom oppidum;* Poen. 314 *uiden tu ut pleni oculi sorderum*[1]) *qui erant iam splendent mihi;* Men. 580 *litium pleni* (sc. sunt); Amph. 777 *haec laruarum plenast;* Curc. 318 *lacrumarum habeo dentes plenos;* Mil. 22 *periuriorem hoc hominem si quis uiderit aut gloriarum pleniorem, quam illic est;* Mil. 513 *(pleniorem ...), quam magno uento plenumst undarum mare* (*vento* est ablativus causae); Mil. 783 *quoi facetiarum cor corpusque sit plenum et doli;* Most. 379 *aedis plenas conuiuarum et mulierum* (sc. offendet); Pers. 392 *librorum eccillum ego habeo plenum soracum.*

Uno loco ablativus apponitur: Merc. 881 *caelum ut est splendore plenum;* qui locus etsi integer non est, de ablativo omnes codices consentiunt; neque tamen defuerunt, qui propter frequentissimum genetivi usum ablativum in genetivum mutandum esse censerent. Ita et Loch et Schaaf Acidalium auctorem secuti iudicant.

particeps. Pseud. 11 *neque tui participem consili quemquam facis;* Truc. 747 *non licet obsoni me participem fieri*[2]); Epid. 266 *fac participes nos tuae sapientiae;* Mil. 1013 *socium tuorum consiliorum et participem celatorum*[3]) (sc. audiuisti).

Cum ablativo hoc adiectivum non est constructum; dignus tamen est, qui hic adnotetur, is quoque usus, Aul. 605 *ut quae fierent fieret particeps.*

compos. Capt. 622 *ita me rex deorum faxit patriae conpotem;* Truc. 835 *ego tibi me obnoxium esse fateor culpae conpotem;* Amph. 643 *domum laudis conpos reuenit;* Capt.

---

[1]) *sorderum* A, *sorderunt* BCD, *sordium* Z, cfr. supra p. 11.

[2]) Locum non satis certum ita haud inepte emendavit Schoell; pro librorum *do obsoni* Spengel *donati obsoni*, Camerarius *de obsonio saltem*, Bugge *quod obsonatumst*, vel *quod obsonaui* (Ussing), alii alia inferre voluerunt.

[3]) *celatorum* Ritschl scripsit pro librorum *consiliarium*, quod vix intellegi possit; *consiliorum* Bothe, secutus est Ussing, sed parum eleganter iteratur *consiliorum*. Haud inepte Haupt coniecit *insidiarum;* quem sequitur Lorenz.

prol. 41 *et suom erum faciet libertatis conpotem;* Epid. 559 *aerumnosam et miseriarum conpotem mulierem retines* [1]).

Cum ablativo coniunctum hoc adiectivum uno loco in codicibus invenitur: Capt. 217 *copiast: ea facitis nos conpotes;* quod et minus numerose cadit et parum congruit cum Plautino dicendi genere, quo genetivus huic adiectivo adscribitur. Metri causa ante *ea* textui insertum est ab antiquis editoribus quibusdam *et* vel *atque.* Sed etiam sic *ea* (i. e. copia) *conpotes* vix latinum est; quare aliud scriptum esse verisimile est. Ussing cogitat de *uosque eorum,* quod proposuit Guyet; Schoell *consili* scripsit.

socius pro adiectivo habendum esse videtur, quamvis substantivi munere fungens, Mil. 1013 *socium* [2]) *tuorum consiliorum et participem celatorum* (sc. audisti, cfr. supra *particeps*); Bacch. 1105 *socium aerumnae et mei mali uideo* (De Rud. 161 cfr. sub genet. poss. *socius*).

cumulatus. Aul. 825 *egone te emittam manu, scelerum cumulatissume.*

dives num cum genetivo construatur, valde dubium est. Nam quod in codicibus est Amph. 170 *ipse dominus diues operis et laboris expers quidque homini lubere accidit posse retur,* alii aliter interpretati sunt. Genetivum *operis* ex *dives* pendere statuit Gronovius: „qui multum operis habet faciendi“ (Ussing), itemque Loch (p. 22). Ussing vero ablativum copiae statuit: qui multas operas habet, i. e. seruos, et confert Cist. 70 *amor et melle et felle est fecundissimus,* cet. Cui Langen [3]) opponit, *operas* pro *servis* a Plauto non dici et *dives* semper absolute poni, quare si *operis* retineatur, pro genetivo habendum esse et ad *expers* referendum; id quod alii fecerunt. Langen ipse *operis* deleri vult et *ipsus* pro *ipse* scribi. Alii aliter locum emendare conati sunt, nec defuerunt, qui totum versum damnarent [4]). Quamquam

---

1) Praeterea ex Ritschelii coniectura scriptum invenimus Pers. 256 *argenti mutui [compos] ut egenti opem adferam;* pro *compos,* quod in libris non est, post *ut* inseruit *ei* Ussing praeeunte Seyfferto (cfr. *egens*).

2) *sociennum* Haupt proposuit, recepit Lorenz.

3) Beitr. p. 9 sq.

4) Fuhrmannum secuti Goetz et Loewe hoc fecerunt.

de his quid verum sit difficile est pro certo diiudicare, tamen *operis et laboris expers* defendendum esse putaverim, quoniam et sententia plana est et dicendi genus Plautinum.

largus. Asin. 533 *ne ille hinc trudetur largus lacrumarum.*

Ablativus apponitur Asin. 598 *audin hunc opera ut largus est nocturna.*

onustus. Aul. 611 *si quis illam inuenerit aulam onustam auri;* ib. 617 *se aulam onustam auri abstrusisse.*

Ablativus saepius huic adiectivo adscribitur. Bacch. 1069 *euenit, ut ouans praeda onustus cederem;* Rud. 909 *quom med . . . expediuit . . . pluruma praeda onustum;* Stich. 276 *itaque onustum pectus porto laetitia lubentiaque;* Aul. 809 *quadrilibrem aulam onustam auro habeo* [1]; Pseud. 218 *tot habes tam probe oleo onustos;* Epid. 375 *eam permeditatam meis dolis astutiisque onustam mittam;* Aul. 412 *omnis exegit foras me atque hosce onustos fustibus.*

prodigus. Most. 875 *tot pessumi uiuont, peculi sui prodigi, plagigeruli.*

His verbis genetivus inopiae adscribitur:

egere. Amph. 819 *sáltem tuipte* [2] *sí pudoris égeas, sumas mútuom;* Asin. 591 *quia tui amans abeuntis* [3] *egeo;* Mil. 1033 *quia tis egeat.* Participium huius verbi ponitur Bacch. 651 *nequius nihil est quam egens consili seruos;* Rud. 274 *nunc tibi amplectimur genua egentes opum.* — Pers. 256 *dis cunctis merito ago gratias quoniam meo amico amiciter hanc commoditatis copiam danunt, argenti mutui ut [ei] egenti opem adferam* [4]*;* vulgo *argenti mutui* cum eis quae praecedunt coniungitur, sed nescio an simplicius ad *egenti* referatur [5] (cfr. Ritschelii adn., qui *compos* inserit).

Ablativus huic verbo a Plauto non adiungitur, accusativus ponitur Men. 121 *nec quicquam eges.*

---

[1] *auri* voluit Studemund scribi.

[2] *tuipte,* quod Fleckeisen proposuit, receptum est a Goetzio et Loewio; librorum scripturam *tute* retinuit Ussing (v. huius comment.).

[3] *amantis* pro *abeuntis* Seyffert Stud. Plaut. p. 1.

[4] Ussing vocabulo *ei* inserto post *argenti mutui* interpunxit.

[5] Hoc enim malui quam ad *opem* referre, quamquam in re incerta ne id quidem reiecerim.

indigere. Cist. 29 *suique omnium rerum nos indigere;* duo genetivi, sed diversa ratione ex una voce pendent: *omnium rerum* = in omnibus rebus; quare falso etiam hunc pro genetivo inopiae habere Loch videtur (cfr. infra genet. relationis). Participium tribus locis ponitur: Rud. 642 *mulieres duae innocentes intus hic sunt, tui indigentes auxili;* Rud. 943[b] *quam tui sermonis sum indigens;* Cist. 27 *suarum opum nos uolunt esse indigentes.*

carere verbum, quod uno loco apud Terentium (Heaut. 400 *tui*) cum genetivo constructum esse ostendit Loch (p. 31), Plautus cum genetivo non coniunxit, cum ablativo his locis: Asin. 535 *si cibo carere me iubes;* ib. 595 *si te carendumst;* ib. 801 *uino uiginti dies ut careat;* Bacch. 1005 *quom careo noxia;* Capt. 357 *quod collus collari caret;* ib. 925 *dum te carendum hic fuit;* Cist. 358 *perdam operam potius quam carebo filia;* ib. 467 *quamquam inuita te carebo;* Curc. 17 *caruitne febris ted heri uel nudiustertius;* Mil. 1033 *quia te careat;* Most. 500 *quia praemature uita careo;* ib. 858 *quom culpa carent;* Poen. 1189 *quibus annos multos carui;* Rud. prol. 36 *propter malitiam patria caret;* Stich. 2[b] *quae tam diu uidua uiro suo caruit;* Trin. 1129 *culpa caruisse arbitror;* Truc. 833 *siue adeo caret temeto.*

levare. Rud. 247 *ut me omnium iam laborum leuas;* hunc genetivum graecum esse et Draeger et Kuehner contendunt.

Adiectiva, quibus genetivus inopiae adscribitur, apud Plautum haec inveniuntur:

expers. Pseud. 498 *quapropter gnati amoris te expertem habuerim;* Amph. 170 *ipse dominus dives operis et laboris expers* (de quo v. supra *dives*). De Asin. 505 *ut qui expers matris imperii sies* v. infra inter ablativos.

Ablativum his locis adnotavi: Amph. 713 *eo more expertem te factam adveniens offendi domi;* Asin. 43 *expers sis metu;* Pers. 509 *ea res me domo expertem facit;* Asin. 505 *án ita tu's animáta, ut qui expers mátris inperió sies;* ita Goetz et Loewe pro *imperii,* quod est in codicibus, *imperio* cum Luchsio scripserunt. Sed codicum scriptura, quam defendit Ussing (cfr. comment. eius), nescio an retineri possit.

exheres. Bacch. 849 *illum . . . exheredem fecero uitae*

suae; genetivum recte statuit Lorenz ad Most. 247 (cfr. *heres* Men. 477 *quoius heres,* genet. obiectivus).

Cum ablativo construitur hoc adiectivum Most. 234 *ut ego exheredem meis bonis me faciam atque haec sit heres.*

exilis, inanis. Stich. 526 *omnium me exilem atque inanem fecit aegritudinum* [1]).

ampos. Trin. 131 *dare te in manus argentum amanti homini adulescenti, animi ampoti* [2]).

impos. Bacch. 614 *sum ... incredibilis inposque animi;* Cas. 629 *quae suist sibi impos animi;* Men. 110 *ni mala, ni stulta sies, ni indomita imposque animi;* Truc. 828 *mihi ignoscas, quod animi inpos uini uitio fecerim.* — Truc. 832 *uerum animi inpos situlam si bibit;* sic Schoell, Ussing ex libris scripsit: *uerum qui inprobust, si* cet. — Itaque *impos* omnibus locis cum genetivo *animi,* qui non pro locativo habendus est, coniungitur; cum ablativo nusquam invenitur constructum.

indigus. Pseud. arg. II, 2 *adulescens Phoenicium ecflictim deperibat nummorum indigus.*

inopiosus. Poen. 130 *res multas tibi mandaui, Milphio, dubias, egenas, inopiosas consili;* ad *egenas* genetivus vix referendus est.

liber. Amph. 105 *quam liber harum rerum et multarum siet.*

orbus. Rud. 349 *capitalique ex periculo orbas auxilique opumque huc recepit ad se Veneria haec sacerdos.*

Ablativus huic adiectivo adicitur Capt. 818 *qui concinnant liberis orbas ouis* (qua de re v. Brixii adn.).

vacivus. Bacch. 154 *ualens adflictat me uaciuom uirium.* — Pseud. 469 *fac sis uociuas* [3]), *Pseudole, aedis aurium* miro errore Schaaf huc retulit, quasi genetivus *aurium* ex

---

1) De hoc loco conferas velim Mueller Pros. Plaut. p. 432 sq.; de *omnium* Buecheler de decl. p. 81.

2) *ampoti* Loewe et Schoell; *inpoti* Brix et Ussing.

3) *uociuas* A praebet, sed „a" supra scriptum; illud Goetz, hoc Ussing recepit. De inconstanti scribendi ratione v. Lorenzii adn. ad h. l.

adiectivo pendeat. Verum *uocivas* ad *aedis* refertur, *aedis aurium* iocose pro auribus dicitur (cfr. in sequenti versu *migrare: mea ut migrare dicta possint quo uolo*).

Inter genetivos cópiae et inopiae eos quoque numerari velim, qui ex his verbis et adiectivis pendent:

potire, quod active idem fere significat ac potentem vel compotem facere. Amph. 178 *eum nunc potiuit pater seruitutis.* — Passive hoc verbum significat idem quod in potestatem venire et cum genetivo *hostium* omnibus locis construitur. Capt. 92 *postquam meus rex est potitus hostium;* ib. 144 *postquam gnatus tuos potitust hostium;* ib. 762 *maior potitus hostiumst;* Epid. 532 *ita gnata mea hostiumst potita;* ib. 562 *hostiumst potita.* — *Potiri* deponens idem fere est quod potentem fieri et his locis invenitur Amph. 187 *ut salui poteremur domi* [1]); Rud. 1337 *tui uiduli ubi sis potitus;* Asin. 555 *eae nunc legiones, copiae exercitusque . . . fugae* [2]) *potiti.*

Cum ablativo *potiri* construitur Asin. 916 *in partem hac amanti ut liceat ei poteirier;* Pseud. arg. II, 15 *scorto Calidorus potitur, uino Pseudolus;* ib. 1071 *si ille illac hodie sit potitus muliere.* — Praeterea accusativus quoque huic verbo adscribitur Asin. 324 *idem post potitur* [3]) *bonum;* Rud. 190 *hoc mihi nil laborist laborem hunc potiri.* Eodem pertinet Curc. 170 *qui homo quod amat videt nec potitur dum licet.* — Cum ablativo constructum invenitur etiam

compotire. Rud. 911 *piscatu nouo me uberi conpotiuit;* ib. 205 *ita hic solis solis locis conpotita.*

cupere. Trin. 841 *pol quamquam domi cupio, opperiar* [4]); Mil. 964 *quae cupiunt tui.* Saepius participium huius verbi

---

[1]) *domi* ex Nonio Hermolaus; *domum* libri.

[2]) *fugae* pro *eugae* scribendum esse Buecheler vidit (cfr. Ussing ad h. l.).

[3]) *potitur* F, Valla, Pius; *patitur* plerique libri manuscripti.

[4]) Mil. 801 *ille eius domi cupiet miser;* sic scripsit Ritchl, codicum scripturam: *ille eiusmodi est cupiet* servarunt melius Madvig „*illeeiusmodi est-cupiet*“ scribens et Ussing „*ille eius modi est: cupiet*“. Madvigium secuti sunt Brix et Goetz.

genetivum sibi adscivit. Bacch. 278 *in nauem conscendimus domi cupientes;* Mil. 997 *quae huius cupiens corporist;* ib. 1165 *quasi . . . abierim cupiens istius nuptiarum;* Poen. prol. 74 *uendit eum . . . quoidam seni, cupienti liberorum;* Mil. 1049 *hunc anulum ab illa tui cupienti huic detuli;* Amph. prol. 132 *quoius cupiens maxumest.* — (De hoc genetivo cfr. Brix ad Trin. 841, Draeger et Kuehner, qui eum graecum esse contendunt).

Accusativus animadvertendus est Mil. 1050 *ut quae te cupit, eam ne spernas;* Curc. 305 *haud mage me cupis quam ego te cupio.*

potens. Pers. 755 *quom nos, Iuppiter, iuuisti dique alii omnes caelipotentes;* quod et a Lochio et Schaafio adfertur: num vere, dubitari potest. Videtur enim *caelipotens* potius pro adiectivo composito habendum esse eodem modo formatum, quo Cas. 262 *scutigerulus;* Cist. 120 *largiloquus;* ib. 147 *multiloqua, multibiba;* Pers. 243 *leuifidus;* ib. 514 *stultiloquus;* 515 *lucrificus;* 702 *uaniloquidorus;* 708 *contortiplicatus;* 711 *lucrificabilis* cet., substantiva composita Cas. 968 *lumbifragium;* Pers. 68 *legirupa;* 230 *uorsicapillus;* 278 *ulmitriba,* cet., quorum apud Plautum magnus est numerus. In his „i" genetivi suffixum non esse, sed vocalem, quae quasi vinculum quoddam ambo membra composita contineat, mihi quidem verisimilius est. Eadem ratione reliqua, quae adfert Schaaf (p. 30), *multipotens, viripotens, salsipotens* explicanda esse probat *omnipotens* Poen. 275, quod Schaaf his adnumeravit, cum o m n i pro o m n i s forma genetivi nusquam inveniatur. Sed exstat praeter hos alius locus, quo libri genetivum non dubium exhibent, Poen. 1182 *praepotentes, pulcrae pacisque potentes, soror, fuimus neque ab iuuentute ibi inridiculo habitae;* ita Ussing cum libris, *praepotentes* autem propter sequens *potentes* corruptum putat. Sed *pacisque potentes,* quod nescio an recte Ussing explicavit dictum esse, quod ab iuventute illae duae sorores ludibrio non erant habitae, alii repudiarunt. Atque Goetz et Loewe duce Spengelio hunc locum ita scripserunt: *pulcrae praepollentesque, soror, fuimus.*

potior [1]) duobus locis in libris genetivum adscivit: Cas. 112 *quam tu eius potior fias;* Truc. 48 *sin alter alteri* [2]) *potior* est; sed hic locus corruptus esse videtur, quoniam ad sensum pessime quadrat; quare Schoell scripsit: *sin alter alteri odiost;* Ussing: *sin aliter animus eius est.*

pollens. Curc. 114 *uinipollens lepidus Liber* ab Schaafio Lochioque profertur; sed item explicandum est ut *caelipotens* (v. supra).

cupidus. Curc. 98 *ueteris uini sum cupida;* Pseud. 183 *uini* [3]) *modo cupidae estis;* ib. 1132 [a] *quom hosce huc adigit lucrifugas, damni cupidos;* Poen. 179 *leno ad se accipiet auri cupidus ilico.*

Cum genetivo copiae et inopiae arte cohaeret genetivus partitivus, quo significatur res universa sive copia quaedam, unde aliquid demptum esse vel intra cuius fines id esse dicitur, quod nomine regenti exprimitur. Huius genetivi duo genera distingui solent, quorum alter genetivus partitivus vulgo nominatur, alter a plerisque genetivus quantitatis appellatur [4]). Fines vero horum genetivorum tam parum discernuntur, ut non pauci genetivi in utroque genere numerari possint.

Ceterum in his genetivis appellandis atque dividendis parum constanter a grammaticis actum est. Apud eos enim, qui de hac re scripserunt, varia occurrunt nomina, quorum alia pro toto genetivo partitivo, alia pro genetivo quantitatis, alia denique pro parte quadam horum genetivorum usurpata sunt. Ita genetivus totius [5]) et genetivus par-

---

[1]) Simili significatione superlativus huius adiectivi absolute usurpatur Men. 359 *item hinc ultro fit, ut meret potissimus nostrae domi ut sit.*

[2]) De hac forma genetivi v. supra suff. *-ius.*

[3]) Libri cum Nonio *uino* habent, sed *uini* restituit Beroaldus, Lambinus; secuti sunt Goetz et Ussing (cfr. Ussing ad h. l.).

[4]) Cfr. Kuehner Ausführl. Gramm. d. lat. Spr. II § 84.

[5]) Draeger Hist. Synt. § 199 p. 448. Auber Beiträge zur lat. Gramm. I p. 42 (Christiania 1856).

tis[1]) ad totam genetivi partitivi provinciam significandam interdum usurpati inveniuntur; genetivus generis dicitur et genetivus quantitatis[2]) et genetivus materiae[3]), et hic quamvis cum genetivo quantitatis arte cohaereat, ab eo tamen distingui et separari solet. His vero generibus non contentus Auber[4]) novum genus constituit, quod in *familia Scipionum, genus eorum, qui . . ., numerus trecentorum,* cet. cernatur. Hunc genetivum, quem medium quiddam inter genetivum partitivum et genetivum generis (vel quantitatis) exprimere ait, genetivum partium nominat. Denique Holtze proprio quodam modo genetivi genera distinxit atque nomina illa usurpavit[5]). Sed longum est omnia, quae in hac re diverse senserint grammatici, enumerare. Quare ad rem propositam redeuntes duo illa genera partitivi, genetivum quantitatis dico et genetivum partitivum, separatim tractabimus; genetivum vero materiae optimum videtur inter genetivos quantitatis referre, qui ex substantivis pendent.

---

[1]) Lund De parallelismo syntaxis graecae et latinae usu casus genitivi demonstrato (Hauniae 1845) p. 111.

[2]) Cfr. Auber l. c. p. 39 sq. — Apud Schaafium (De genetivi usu Plautino p. 9) genetivus generis pro toto genetivo partitivo usurpatur.

[3]) Cfr. Loch De genetivi apud prisc. script. lat. usu p. 4.

[4]) l. c. p. 39.

[5]) Holtze Syntaxis prisc. script. lat. I p. 315—340.

Genetivus quantitatis (et materiae).

Primum genus genetivi partitivi id est, quo aliqvantum ex copia quadam vel rerum vel homimum sumptum esse indicatur *(genetivus quantitatis)*. Hic genetivus apud Plautum usitatissimus est; ex substantivis, adiectivis, pronominibusque neutrius generis et adverbiis pendet.

Substantiva, quibus genetivus quantitatis adiungitur, sive mensuram quandam certam, sive modum non accurate definitum exprimunt. Apud Plautum haec inveniuntur:

amphora. Mil. 824 *deprompsit nardini amphoram cellarius.*

aula. Aul. 763 *aulam auri te reposco;* Amph. fragm. III *optumo iure infringatur aula cineris in caput.*

cadus semper cum genetivo *vini*. Amph. 429 *cadus erat ibi uini;* Asin. 624 *noctem tuam et uini cadum uelim;* Aul. 571 *iussero cadum unum uini ueteris a me adferrier;* Poen. 258 *iam non me donari cado uini ueteris decet;* Stich. 425 *cadum ueteris uini propeino.*

* **ciccum** ex coniectura Schoellii cum genetivo structum est Rud. 725 *mihi cum uostris legibus nec ciccumst commerci; nihil est* vocabulis lacunam, quae in textu inest, supplevit Ussing. Pseud. 397 *ciccum certi consili* scribi voluit Bugge (cfr. infra *gutta*).

copia. Pers. 255 *meo amico amiciter hanc commoditatis copiam danunt;* Bacch. 563 *quid? tibi non erat meretricum aliarum Athenis copia;* quae ad similitudinem accedunt eorum exemplorum, quae sub genetivo obiectivo ex *copia* pendenti enumerata sunt. Pers. 633 *ubi rerum omnium bonarum copiast;* Poen. 1178 *tanta ibi copia uenustatum aderat in suo*

quique loco sita munde. Tum his comparanda sunt ea exempla, quae sub genetivo obiectivo et gerundii enumerabimus.

corbita. Cas. 778 *corbitam cibi comesse possunt.*

cyathus. Poen. 274 *quoius ego hercle nebulae cyatho* [1]) *septem noctes non emam.*

dolium. Cist. 367 *quia ei promisi dolium uini dare.*

dynamis. Pseud. 210 *quoius amatores oliui dynamin domi habent maxumam.*

examen. Truc. 314 *ergo coget examen mali.*

genus semper cum genet. *hominum.* Most. 657 *nullum edepol hodie genus est hominum taetrius;* Poen. 831 *quoduis genus ibi hominum uideas;* Pseud. 153 *huc adhibete aures ..., plagigerula genera hominum;* Trin. 290 *quia ego ad hoc genus duraui hominum;* ib. 1046 *nam id genus hominum ... male facit.* Capt. 161 *eorum sunt aliquot genera Pistorensium* [2]); ubi paulo obscurius duo genetivi ad *genera* referuntur, quorum prior quantitatis speciem prae se fert, posterior definitivus esse videtur.

granum. Stich. 256 *nega esse quod dem mihi nec granum tritici neque aliud quicquam* [3]); Stich. 558 *dare se granum tritici;* Poen. 451 *quiue ullum turis granum sacruficauerit.*

grex. Aul. 452 *huc intro duce uel gregem uenalium;* Cist. 565 *quin grex uenalium in cistella infuerit una;* Pseud. 333 *eadem duo greges uirgarum inde ulmearum adegero.*

gutta. Cas. 247 *si in os meum uini guttam indidi;* Pseud. 397 *quoi neque paratast gutta* [4]) *certi consili* (ib. 398) *neque adeo argenti;* Most. 508 *guttam haud habeo sanguinis.*

* **hilum.** Truc. 915 *neque ruri neque hic hilum* [5]) *operis*

---

[1]) *uno* add. Uss.

[2]) Versum damnavit Schoell, fortasse recte.

[3]) *dem mihi nec granum tritici* scripsit Goetz; *dem nec mihi nec mutuum* libri.

[4]) Pro *gutta* quod in plerisque libris manuscriptis est, *ciccum* proposuit Bugge. In A scriptum est *parati est quicquam.*

[5]) Coniectura Schoellii; *operis quicquam* libri.

facio; ib. 765, ubi pro corrupta librorum lectione *ad illum* Schoell scripsit *tantillum,* a nonnullis proponitur *hilum pensi,* cet. (cfr. *tantillum*).

hirnea. Amph. 432 *uini hirneam ebiberim meri.*

libra. Pseud. 816 *eo laserpici libram pondo diluont.*

matula. Amph. fragm. IV *ne tu postulas matulam unam tibi aquae hinc infundi in caput.*

medimnus. Stich. 587 *mihi medimnum mille esse argenti uelim.*

messis. Trin. 529 *postid frumenti quom alibi messis maxumast;* Epid. 718 *ut acerbumst pro benefactis quom mali messim metas;* Rud. 637 *tibi euenturam hoc anno uberem messem mali;* Trin. 32 *eorum* (sc. morum malorum) *licet iam metere messem maxumam.* — Cum his conferas velim Rud. 763 *iam hercle tibi mergeis in ore fiet messis pugneis,* ubi pro genetivo ad *messis* relato („pugnorum“) ablativus instrumenti positus est, qui ex verbo proxime pendet.

modius. Mil. 1064 *plus mi auri millest modiorum Philippi; auri Philippi* enim ex *modiorum* pendet. Stich. 253 *tritici modios decem rogare opinor;* Cas. 538 *non ecastor uilis emptu'st modius qui uenit salis;* quo loco paulo obscuriore genetivus *salis* haud dubie ad *modius* referendum esse videtur.

modus. Aul. prol. 13 *agri reliquit ei non magnum modum.*

mons. Mil. 1065 *tum argenti montis, non massas habet;* Pseud. 189 *quibus cunctis montes maxumi frumenti sunt structi domi* (de quo loco cfr. infra *aceruus*); Epid. 84 *itaque in te inruont montes mali;* Merc. 618 *montis mali in me iacis;* Most. 352 *ita mali maeroris montem maxumum ad portum modo conspicatus sum.*

natio. Men. 258 *itast haec hominum natio;* Rud. 311 *saluete fures maritumi, . . . famelica hominum natio.*

numerus. Bacch. 930 *erum expugnabo meum sine classe sineque exercitu et tanto numero militum;* Epid. 213 *tum meretricum numerus tantus, quantum in urbe omni fuit, obuiam ornatae occurrebant suis quaeque ibi amatoribus;* Poen. 1180

tantus ibi clientarum erat numerus. — Cist. 589 *ea est, ut numerum eius annorum adtulit;* vocabulo *numerum* lacuna expleta est.

Appositive adiungitur nomen Most. 19 *augebis ruri numerum, genus ferratile.* Sed recte monuit Ussing, hanc appositionem non pro genetivo usurpatam esse neque similem esse ei, quae in codicibus est Capt. 232 *maxuma pars . . . homines* (v. infra *pars*). „Genus ferratile est explicatio indicatque cui hominum numero sit accessurus Tranio“ (Taubm. [1]).

pars. Aul. 485 *in maxumam illuc populi partemst optumum;* Poen. 1285 *pro maiore parte prandi pignus cepi;* Truc. prol. 1 *perparuam partem postulat Plautus loci;* Trin. 1066 *boni malique in ea re pars tibist;* Asin. 514 *ecqua pars orationis de die dabitur mihi;* Mil. 645 *conmemini et meae orationis iustam partem persequi;* Mil. 1030 *aliquam mihi partem hodie operae des denique;* Cist. 118 *magnae quod parti est uitium mulierum;* Curc. 447 *dimidiam partem nationum usque omnium subegit solus;* ib. 548 *facis sapientius quam latronum pars;* Trin. 35 *pluris pauciorum gratiam faciunt pars hominum;* Truc. 109 *et pars spectatorum scis tis spoliis me haud mentiri;* Rud. 980 *suam quisque partem piscium poscant sibi;* Pers. 839 *set ita pars libertinorumst;* Most. 280 *maxuma id adeo pars uostrorum intellegit.* — Mil. 865 sq. a plerisque scribitur [2]): *tu meam partem, infortunium si diuidetur, me absente accipito tamen;* Ritschl autem praeeunte Bothio ex nonnullis libris *partem infortuni* scripsit [3]). Men. 135 *ecqua in istac pars inest praeda mihi;* hoc enim duce Camerario edidit et Schoell et Ussing; Pyladis scripturam *praemi mihi* nonnulli editores (inter eos Brix) receperunt, quod minus aptum est, etsi ad codicum scripturam propius accedere videtur [4]).

Nonnullis locis ablativus cum *de* praepositione coniunctus quodam modo ad *pars* vocabulum referendus est. Asin. 514

---

[1]) Cfr. Holtze I p. 9.

[2]) Brix, Ussing, Goetz (*partem infortinum* alii codices habent).

[3]) Cfr. supra suff. *-um* pro *-orum.*

[4]) Libri: *pre mihi,* nisi quod *premii* FZ.

ecqua pars orationis de die dabitur mihi; Truc. prol. 1 sq. *perparuam partem postulat Plautus loci de moeris magnis atque amoenis moenibus;* quibus locis *pars* genetivis *orationis* et *loci* propius terminatur quam ablativis. Rud 1077 *neque partem posco mihi istinc de istoc vidulo;* ablativo et *de* praepositione premitur localis notio. — Hic conferas velim etiam Mil. 8 *stragem facere ex hostibus.*

Pro genetivo appositive adiungi substantivum et Loch [1]) et Schaaf [2]) aliique docent his locis: Capt. 232 *nam fere maxuma pars morem hunc homines habent,* quam codicum lectionem leniter mutatam *(maxuma hunc pars)* defendit Brix. Mil. 93 sq. *itaque hic meretrices, labiis dum ductant eum, maiorem partem uideas ualgis sauiis.* Et conferunt etiam Most. 19 *augebis ruri numerum, genus ferratile* (de quo v. supra *numerus*). Quod autem ad primum illud exemplum attinet, negavit Ussing latine dici posse „homines maxima pars" pro „hominum maxima pars" ideoque *homines* delevit; cui adsensus Schoell *maxima pars* omisit, retinuit *homines*. Ceterum versus codicum cum minus cadat numerose, variis modis ab editoribus emendatus est (v. append. ad h. l. in editione Schoellii). Altero autem loco quem adferunt Mil. 93 sq. nihil causae est, cur appositionem statuamus, cum *maiorem partem* item ut *magnam partem, maximam partem,* similia, pro accusativo relationis sive respectus qui vocatur potius habendum sit; quamquam negari nequit *meretrices* verbis *magnam partem* hic proxime spectari (cfr. Brix ad Capt. 421 et Mil. 93).

poculum. Truc. 43 *si semel amoris poculum accepit meri* (cfr. supra *nebulae cyathus*).

potio. Stich. 213 *quot potiones mulsi, quae autem prandia, quae inter continuom perdidi triennium;* qui genetivus a Lochio inter genetivos materiae relatus nescio an magis similis sit genetivorum obiectivorum.

pondo. Truc. 913 *plus decem pol pondo amoris pausillisper perdidi* [3]).

reliquiae. Rud. 199 *em haec eius sunt bonum* [4]) *relliquiae;* Curc. 388 *ubi reliquiarum reliquias reconderem.* —

---

[1]) l. c. p. 13.

[2]) l. c. p. 16.

[3]) *auri morus* Bothe, *nunc auri* Ussing (v. eius comment.).

[4]) De suffixo v. supra p. 9.

De Most. 82 *paucorum mensum sunt relictae reliquiae* v. sub genetivo qualitatis.

parua res. Amph. 633 *satin parua res est uoluptatum in uita atque in aetate agunda, praequam quod molestumst; res uoluptatum* a Mureto cum graeco *τὸ χρῆμα τῶν ἡδονῶν* comparatur, quasi pro *voluptates* dictum sit, eademque est sententia Holtzii (p. 7), Lochii (p. 4), Schaafii (p. 24); ab Ussingio *uoluptatum* pro genetivo quantitatis (generis) recte habetur; *parua res* enim est „exigua pars", paulum.

spatium. Merc. 547 *breue iam relicuom uitae spatiumst;* Stich. 81 *decurso aetatis spatio cum meis gerere bellum.*

summa. Epid. 105 *meorum maerorum atque amorum summam edictaui tibi;* Mil. 46 *quanta istaec hominum summast;* Truc. 25 *quam penes amantum summa summarum redit.* Sed difficile dictu est, inter quos genetivos hic potissimum numerandus sit.

tempus. Merc. 984 *ut tempus anni aetatem aliam aliud factum condecet;* Asin. 253 *ad hoc diei tempus dormitasti;* Trin. 811 *denique diei tempus non uides.*

thensaurus. Aul. prol. 7 *mihi auos concredidit auri thensaurum;* Merc. 163 *tu quidem thensaurum huc mi adportauisti mali;* ib. 641 *thensaurum nescio quem memoras mali;* Asin. 655 *di te seruassint semper, thensaurus copiarum.* — De Trin. 152 *thensaurum . . . nummum Philippeum ad tria milia* v. infra genet. part. *milia.*

triduum. Bacch. 461 *triduom non interest aetatis ut maior siet.*

uncia. Men. 526 *atque huc ut addas auri pondo unam unciam;* Rud. 913 *neque piscium ullam unciam pondo hodie cepi;* utroque loco *pondo* additum est.

urna. Cas. prol. 76 *pignus dato in urnam mulsi.*

* **uatillum.** Trin. 492 *deos decent opulentiae et factiones: uerum nos homunculi uatillum animai: quam quom extemplo amiseris, aequo mendicus atque ille opulentissimus censetur censu;* ubi *uatillum,* i. e. batillum coniecit Loewe, sed versus corruptus est. Alii *stalagmium,* alii *scintilla,* alii

alia proponentes locum emendare conati sunt (cfr. Ussing ad h. l.).

uectura. Asin. 432 *eho, Coriscus pro uectura oliui rem soluit;* nisi pro obiectivo genetivo habendus est.

uehiclum. Pers. 782 *uehiclum argenti miser eieci,* quem minus recte habet Loch pro genetivo materiae (cfr. supra Cas. 778 *corbitam cibi*).

uis. Poen. 210 *negoti sibi qui uolet uim parare;* Holtze (I p. 7) confert *res uoluptatum,* similia, et vocabulo *uim* notionem *negoti* augeri dicit. Itaque ex eius sententia hic genetivus inter appositivos referri debuerat. Amph. 234 *cadunt uolnerum ui uiri;* ubi *uolnerum ui uiri* Luchsium secuti scripserunt Goetz et Loewe, *uulneris ui et uirium* in libris est. Epid. 249 *quasi retruderet med hominum uis inuitum.* — Praeterea Truc. 519, ubi Schoell scripsit: *quique mihi magni doloris onus . . . condidisti in corpus,* ibi pro onus alii uim scribunt.

Denique uno loco genetivus quantitatis ex

ea pronomine pendet: Amph. 430 *cadus erat ibi uini: inde inpleui hirneam . . . eam ego uini, ut matre natum fuerat, eduxi meri;* quae scriptura (Fleckeiseni) a librorum lectione nisi ordine uerborum paululum mutato nihil differt; Guyet autem: *id ego . . . eduxi merum,* Holtze: *eam ego . . . uini eduxi hirneam meri,* alii aliter. Credo librorum *eam* defendi posse.

Restat ut ea exempla proferam, in quibus genetivi *auri* et *argenti* ad substantiva *libella, mina, talentum* relati sunt (cfr. supra *uncia, pondo* et infra *nummus, Philippi*).

libella. Capt. 947 *mihi libellam pro eo argenti ne duis;* Pseud. 629 *tibi libellam argenti numquam credam.*

mina cum usitatissime cum genetivo *argenti* coniunctum sit, operae pretium non esse existimavi omnia exempla perscribere et demonstrare; enumerare satis habui locos, quibus cum genetivo construitur, omnes. Asin. 89 *uiginti iam usust filio argenti minis;* ib. 364, 396, 532, 579, 633, 651, 725, 752, 852; Epid. 54 *id adeo argentum . . . sumpsit fenore in dies minasque argenti singulas nummis;* ib. 114,

366, 467; Most. 1021; ib. 1027; Pers. 665, 683; Poen. 467, 1287, 1353, 1399; Pseud. 117, 618, 718, 732, 753, 1149; Trin. 1082; Truc. 580, 739. — Cum genetivo *auri* multo rarius coniunctum est *mina,* neque hi omnes loci integri sunt. Mil. 1420 *ergo des minam auri nobis;* Truc. 893 *ego minam auri*[1]) *fero supplicium damnas ad amicam meam;* ib. 900 *supplicium ad te hanc minam fero auri*[2]); ib. 936 *alia opust auri mina.*

Appositionis loco *minae* argento attribuitur Pseud. 1222 *nisi mi argentum redditur, uiginti minae.*

talentum. Asin. 193 *si mihi dantur duo talenta argenti;* ib. 500; Merc. 89; Most. 913; Rud. 1318; ib. 1344, 1375, 1380; Truc. 952 *em tibi: talentum argenti Philippi hic est.* — Uno loco genetivus *Philippum* (sc. nummorum) ex talento pendet: Mil. 1061 *talentum Philippum huic opus aurist* (cfr. *Philippi*).

His aptissime subiungi puto hos genetivos: Truc. 845 *sex talenta magna dotis demam pro ista inscitia*; Merc. 703 *quoi decem talenta dotis detuli;* Cist. 397 *unde tibi talenta magna uiginti pater det dotis;* Pers. 394 *dabuntur dotis tibi inde sescenti logei;* Trin. 1158 *spondeo et mille auri Philippum dotis;* Poen. 670 *trecentos nummos Philippos portat praesidi* (cfr. Rud. 683 *nisi quid re praesidi*[3]) *adparas*); Cas. 258 *quoi homini hercle hodie peculi nummus non est plumbeus.* De his genetivis 'disputativt Hoffmann in Fleckeiseni annall. a. 1874 p. 556.

Ad hos genetivos ii proxime accedunt, quibus partes vel materia, ex qua aliquid constat vel compositum est, exprimitur (**genetivus materiae**). Eiusmodi genetivi apud Plautum rari inveniuntur; multi enim, quos huc refert Loch (p. 4 sq.) possunt etiam inter genetivos quantitatis numerari. Pro genetivis materiae hi tamen habendi videntur:

---

[1]) Ita Seyffert, *mihi amare* libri.
[2]) *fero minam auri* Bothe, *si minus* Bugge, *nisi mihi* Acidalius.
[3]) *praesidi* Fleckeisen, *praesidium* libri

acervus. Cas. 126 *nisi ruri erui tu aceruom ederis.* — Pseud. 189 *quibus, quanti montes maxumi, frumenti acerui sunt domi* edidit Lorenz *acerui,* quod in libris invenitur, retinens. Aliter Goetz (v. supra *mons*). Verum si quantitatis notio premitur, ut *aceruus* idem fere valeat atque copia, strues, cet. (cfr. exemplum, quod ex Catone adfert Loch p. 13, *acervus lignorum*), potius inter genetivos quantitatis numerantur haec exempla.

fasces. Epid. 28 *duo ulmei fasces uirgarum* (sc. a praetura tua absunt).

globus. Poen. 481 *in fundas uisci indebant grandiculos globos.*

nummus cum genetivo *argenti* his locis construitur: Asin. 487 *tamen numquam hinc feres argenti nummum;* Aul. 108; Most. 535; ib. 1080; Pseud. 97 (cfr. Lorenzii adn. ad h. l.); ib. 299 *nummum nusquam reperire argenti queo.* Cum genetivo *auri* coniunctum duobus locis ponitur: Poen. 732 *quom auri ducentis nummis Philippis* (sc. ueneritne); Rud. 1313 *nummi octingenti auri mihi in marsuppio infuerunt.* — Quibus subiungendi sunt duo loci, ubi omisso vocabulo *nummi* genetivus *auri* ex

Philippi (sc. nummi) pendet: Trin. 1158 *spondeo et mille auri Philippum dotis;* Mil. 1061 *talentum Philippum huic opus aurist;* ubi *talentum* genetivum *Philippum* regit, cui voci genetivus *auri* subiungitur.

Inter eos genetivos quantitatis, quos supra protulimus, nonnullos materiae esse voluit Loch. Et quamvis per se ita intellegi possint, ex nexu sententiarum tamen genetivi quantitatis apparent tales quales sunt Merc. 618 *montis mali in me iacis;* ib. 163 *thensaurum mali;* Epid. 718 *mali messim;* cet. — De Aul. 454 *postquam inpleuisti fusti fissorum caput,* quod Loch huc retulit, v. genet. copiae et inopiae; de genetivis, qui ex *genus* vocabulo pendent, genet. definitivus.

Adiectiva, quae quantitatem significant, saepenumero cum genetivo coniunguntur, in nominativo aut accu-

sativo [1]) neutrius generis posita, substantivorum simillima. Apud Plautum haec inveniuntur: quantum, quantumvis, quantillum, aliquantum, tantum, tantulum, tantillum, tantundem, (multum), plus, amplius, nimium, dimidium, paulum, paululum, minus. Quibus addendum est substantivum nihil.

quantum cum genetivo coniunctum duplici sensu accipi potest: aut partem totius aliquam significat, aut ipsum illud totum, cuius fit mentio, quantumcumque est, ut idem fere valeat atque *quidquid* cum genetivo, sive *quotquot*. Prior illa significatio in his exemplis inest: Bacch. 352 *ita feci, ut auri quantum uellet sumeret;* Mil. 1061 *dabitur, quantum ipsus preti poscet;* Poen. 225 *apage sis: negoti quantum in muliere unast;* Men. 911 *non tu scis, quantum isti morbo nunc tuo facias mali;* Curc. 372 *quantum aeris mihi sit quantumque alieni siet;* Merc. 476 *quantum malarum rerum sustineam.* — Alterum quem diximus huic constructioni inesse sensum haec exempla praebent: Poen. 432 *neque quantum aquaist* [2]) *in mari,* (433) *neque nubis* [3]) *omnis quantumst,* (434) *neque stellae in caelo* (*nubis* vero et *stellae* nominativus est). Merc. 663 *praeconum iubere quantumst conducier;* Mil. 278 *ne hercle hodie quantum hic familiariumst* [4]); Poen. 431 *quantum Accheruntest mortuorum.* His adnumerandum esse videtur etiam hoc exemplum: Mil. 493 *metuo illaec mihi res ne malo magno fuat, quantum hunc audiui facere uerborum senem;* ubi *quantum* cum genetivo coniunctum eodem sensu usurpatur ac sine genetivo Trin. 165 *quantum hunc audiui loqui* (cuius similia v. Lorenz ad Mil. 470). — Praeterea si genetivus partitivus qui pendet ex superlativo, cui adiunctum est *quantum,* ad hoc quoque vocabulum refertur, huc omnia eiusmodi exempla addenda sunt, quae infra sub superlativo enumerabimus.

---

[1]) De Pseud. 1192 *quantillo argenti* vide *quantillum.*

[2]) *aquaist* def. Lachmann in Lucr. p. 195; *aquarumst* Mueller Pros. Pl. p. 516: *aquast* A, *aquae est* B, *est aqua* reliqui.

[3]) *nubis in* A, *nubes omnes* B.

[4]) *familiarum* BCD v. supra de suff. *-um* et *-ium.*

Causam vero si quaerimus, unde haec ambiguitas notionis orta sit, videtur ea in duplici huius adiectivi natura posita esse, qua et ad pronomen interrogativum et ad relativum prope accedit. In eis enim exemplis, quae prima attulimus, *quantum* vocabuli interrogativa, in posterioribus relativa vis magis conspicua est.

quantumuis. Mil. 253 *quantum uis prolationis; prolationis* Ribbeck ex A „an *prolationes?*“ addens, *prolationum* ex ceteris libris Ussing et Brix.

quantillum. Capt. 193 *quantillum argenti mi apud trapezitam siet;* Bacch. 705 *sed nunc quantillum usust auri tibi.* — Pseud. 1192 *quantillo argento te conduxit Pseudolus.* Ita pro librorum *quantillo argenti* duce Camerario scripsit Seyffert (cfr. Truc. 637 *quantillo mi opere nunc persuaderi potest*).

aliquantum. Most. 354 *qui facere argenti cupiat aliquantum lucri;* Cas. 251 *relinque aliquantum orationis, cras quod mecum litiges;* Mil. 640 *set ego amoris aliquantum habeo umorisque etiam in corpore.*

tantum. Epid. 309 *ex armario decutio argenti tantum, quantum mihi lubet;* Most. 211 *id, tuo pro capite quod dedit, perdiderit tantum argenti;* sed versum spurium esse ostendit Lorenz (cfr. eius adnot. ad h. l.). Aul. 723 *tantum auri perdidi;* ib. 786 *auri tantum perdidi;* Bacch. 1184 *alterum tantum auri non meream;* ib. 1032 *quam propter tantum damni feci et flagiti;* Poen. 918 *tantum eum instat exiti;* Asin. 310 *tantum adest boni;* Capt. 776 *quoi boni tantum adfero, quantum* cet.; ib. 869 *tantum ego nunc porto a portu tibi boni;* Pseud. 937 *tantum tibi boni di duint;* Men. 902 *suo qui regi tantum conciuit mali;* Aul. 722 *tantum gemiti et mali et maestitiae mi hic dies optulit;* Men. 435 *tantum incepi operis,* quod pro *tantum opus* dicitur, velut *quid negoti, quid hominis,* cet. Merc. 672 *tantum hoc onerist quod fero;* ubi potius ad *tantum,* quam ad *hoc* (ut iunxit Loch. p. 18) genetivus referendus videtur (cfr. *quid hoc, illuc, istuc est negoti* p. 41). Poen. 619 *sed*

quid huc tantum hominum incedunt; Aul. 370 *rapacidarum ubi tantum sit in aedibus.*

Pro genetivo dicitur Stich. 295 *tantum adporto bonum.*

tantulum. Pers. 415 *non mihi censebas tantulum argenti fore.*

tantillum. Truc. 765 *fio inpudens nec mi adeost tantillum* [1]) *pensi iam quo capiam calceos;* Stich. 620 *tantillum loculi, ubi catellus cubet, id mihi sat erit loci;* Trin. 64 *haud tantillum dederis uerborum mihi.*

tantundem. Pseud. 1206 *tantundem argenti, quantum miles debuit, dedit huic.*

* **multum.** Pseud. 1158 *uides iam diem multum esse;* in libris autem est: *die (= diei) multum;* sed quae in A visa sunt: *iam diem multum,* praeferenda esse censuit Mueller (Add. ad Pros. p. 142), cui similia multa proferens adsentitur Lorenz in adnot. crit. Rud. 142 *nullumst periclum te hinc ire inpransum domum;* hic Seyffert coniecit *multumst pericli.*

plus. Epid. 336 *nec mihi plus adiumenti das;* Amph. 636 *incommodi plus malique ilico adsit boni si obtigit quid;* Pers. 315 *ne exhibeat plus negoti;* Poen. 212 *nullae magis res duae plus negoti habent;* Curc. 374 *si reddo illis quibus debeo plus alieni est* [2]); Capt. prol. 45 *plus insciens quis fecit quam prudens boni;* Men. 475 *quoi homini boni dedistis plus;* Rud. 504 *ubi perdidi etiam plus boni quam mihi fuit;* Bacch. 679 *animus iam istoc dicto plus praesagitur mali;* Mil. 1044 *nam uolturio plus humani credost;* Amph. 641 *plus aegri quam uoluptatis cepi;* Aul. 448 *plus iam medico mercedist* [3]) *opus;* Cas. 218 *quod plus salis plusque leporis habet;* Mil. 651 *plus dabo quam praedicabo ex me uenustatis tibi;* Trin. 231 *utra in parte plus sit uoluptatis*

---

[1]) *tantillum* Casaubonus, *ad illum* libri, *hillum* Acidalius, *satillum* Neilson (v. *hilum*).

[2]) Versum exclusit Bothe, cui adstipulatur Goetz.

[3]) *mercedist opus,* h. e. mercedis est opus, praeeunte Bothio scripserunt et Goetz et Ussing (cfr. huius comment.); *mercede opus est* libri.

uitae ad aetatem agundam[1]; Mil. 236 *neque habet plus sapientiae quam lapis;* Cas. 356 *plus artificumst mi quam rebar;* Truc. 64 *nam nunc lenonum et scortorum hic plus est fere* (65) *quam olim muscarumst, quom caletur maxume;* ib. 69 *certo scio heri plus scortorum fuisse iam quam ponderum;* Aul. 505 *plus plaustrorum in aedibus uideas;* Epid. 675 *duodecim deis plus quam in caelo deorumst immortalium mihi nunc auxilio adiutores sunt;* genetivum ex *plus* pendere censet Loch (p. 14), quod quomodo explicandum sit, equidem non intellego, nisi per vitiosam quandam sententiarum confusionem Plautum ita locutum esse putemus. Genetivum paulo liberius posuit poeta, quasi si numerus quidam incertus (quantum, vis, multitudo, copia) animo eius obversatus esset. Ceterum ipsa sententia plana et simplex est, neque iusta causa viri docti mea quidem sententia hunc versum vexaverunt (cfr. Mueller, Pros. Plaut. p. 270 sq.). Epidicus enim, qui v. 610 sq. ne duodecim deos quidem se servare posse dixit, nunc gaudio exsultans, cum salvus sit, duplicem ait deorum numerum sibi adesse.

amplius. Cist. 610 *gaudeo, tibi mea opera liberorum esse amplius.*

nimium. Stich. 375 *argenti aurique aduexit nimium;* Merc. 739 *nimium negoti repperi;* Poen. 239 *nimia omnia nimium exhibent negoti*[2] *hominibus ex se;* Stich. 379 *nimium bonae rei* (sc. advexit). — De Truc. 705 *nimium mellina est mihi* v. infra *nihil.*

dimidium. Aul. 291 *ei obsoni hinc dimidium iussit dari;* Bacch. 1185 *quid tandem, si dimidium auri redditur;* ib. 1189 *dimidium auri datur;* Pseud. 452 *bonus animus in mala re dimidiumst mali;* Amph. 1125 *si licet boni dimidium mihi diuidere cum Ioue.* — (Cfr. *dimidia pars* cum genetivo supra).

Ablativus **de** praepositioni adiunctus ex *dimidium* pendet Pseud. 1164 *memento ergo dimidium istinc mihi de praeda dare.*

---

[1]) Versus a nonnullis suspectos habitos defendit Ussing.

[2]) *negoti* Hermann, *negotium* libri.

paulum. Pers. 125 *inibi paullum praesidi* (sc. fuit); Poen. 315 *etiam in medio oculo paullum sordist;* Mil. 853 in libris est: *sed in cella erit (erat) paulum nimis loculi lubrici;* quod ab aliis aliter emendatum est [1]). Codicum scripturam bene servarunt Brix et Fleckeisen: *paullum loculi erat nimis lubrici;* Goetz scripsit *sed in cella erat non nimium loculi lubrici.*

paululum. Poen. 803 *paululum praedae intus feci.*

minus. Merc. 717 *minus mali quaerunt sibi;* Stich. 162 *quo minus laboris cepisse illam existumo;* Truc. 63 *et minus damnosorum hominum quam nunc sunt siet;* Mil. 1436 *minus hic moechorum siet.* — Stich. 537 *iam istoc morai minus erit;* hic genetivum statuit Loch (p. 14) ex *minus* pendentem, sed potest *morai* etiam pro dativo haberi (cfr. infra *nihil* Trin. 1108).

His adiungo eos locos, in quibus nomen regens est substantivum neutrius generis

nihil, nil, quod cum genetivo coniunctum aut solum ponitur aut cum *quidquam* iungitur, quo gravior negatio evadat. Bacch. 315 *sed nilne huc attulistis inde auri domum;* Trin. 973 *nam nihil auri fero;* Aul. 369 *quasi negoti nil siet;* Curc. 465 *mihi negoti nihil est;* Men. 458 *quibus negoti nihil est;* Curc. 418 *nihil est Summano loci;* Capt. 1028 *quoi peculi nihil est recte feceris;* Cas. 199 *nam peculi probam nil habere addecet;* Most. 851 *nil periclist;* Mil. 1002 *de te loquitur, nihil attrectat sordidi;* Pers. 536 *nil pericli mihi videtur;* Rud. prol. 25 *nihil ei acceptumst a periuris supplici;* Aul. 355 *temeti nihil adlatum intellego;* ib. 83 *nihil est quaesti furibus;* Most. 1107 *quia nihil quaesti sit ei;* Mil. 407 *nihil habeo certi quid loquar;* Capt. 741 *in morte nihil est quod metuam mali* (cfr. infra *quod*); Pers. 270 *nil iam mihi noui offerri pote, quin sim peritus;* Trin. prol. 14 *nil uideo esse relicui;* Pers. 585 *si tibi subiti nihil est, tantundemst mihi;* Curc. 495 *quibus sui nihil est nisi una lingua;* Pseud.

---

[1]) Cfr. adn. Goetzii ad h. l. et Langen Beitr. p. 335.

426 *nihil est praedae praedatoribus;* Aul. 238 *nihil est dotis, quod dem;* Rud. 190 *nam hoc mihi nil*[1]) *laborist laborem hunc potiri;* ib. 941 *nil habeo, adulescens, piscium;* Men. prol. 59 *ei liberorum, nisi diuitiae, nil erat*[2]); Mil. 1153 *si praesenserit miles, nihil ecferri poterit huius; huius* autem generis neutrius est et idem fere valet ac si scriptum esset consilium vel propositum. Aul. 348 *horunc tibi istic nihil eueniet;* Cist. 49 *sine opera tua di horunc nihil facere possunt:* Pers. 161 *set ego nihil horunc scio;* Bacch. 1012 *nihil est illorum, quin ego illi dixerim;* Rud. 1128 *at si istorum nil sit, ut mihi reddas;* Trin. 333 *mercaturan', an uenalis habuit..— nihil istorum.* — Poen. 587 *qui si nihil est quicum litigent;* sic A, sed dubius est locus: in aliis libris est *litium lites semunt;* et si lectio codicis A retinetur, minus aptum *nihil* videtur. Quare fuerunt qui *nullust, nemost* vel *non est pro nihil* scripserunt (v. adn. ad h. l. et Ussingii comment.). Cas. 772 vestigia incerta codicis A secutus Geppert coniecit extrema, quae in ceteris codicibus exciderunt, fuisse: *quasi sei nesciant,* Ussing addidit *nihil,* unde penderet genetivus, qui in initio sequentis versus erat, atque sic edidit: *quasi nil sciant fore huius, quod futurumst;* eumque secutus est Schoell (cfr. infra *quod*). — Tum observandum est Trin. 1108 *nihil est morae,* ubi genetivum statuit Loch, credo recte (cfr. Pseud. 168 *ne mora quae sit*), quamquam in similibus sententiis utrum dativus an genetivus adhibitus sit, saepenumero ambiguum est. Cuius rei illustrandae causa hic nonnulla exempla Plautina adferam. Amph. 972 *faxo haud quicquam sit morae;* Pers. 86 *ne mihi morae sit quicquam;* Stich. 537 *iam istoc morai minus erit;* Truc. 705 *istuc nimium mellinaest mihi* (ubi genetivus statuendus videtur); Bacch. 770 *nimio illaec res est sane diuidiae mihi;* Cas. 181 *idem mihist diuidiae;* hic dativus certus est (conferri potest Most. 922 *ne quid captioni mihi sit;* Rud. 1373 *si-*

---

[1]) *nil* coniecturae Schoellii debetur; *haud* F, quod retinent Bothe, alii (v. append. in editione Schoellii ad h. l.).

[2]) Versum seclusit Schoell.

quid uoluptatist mihi, h. e. *uoluptati est,* quam scripturam praebent codices; Bacch. 1191 *etsist dedecori,* cet.). — De Rud. 725 et Pseud. 397 v. supra inter substantiva quantitatis *ciccum.*

Sequuntur ea exempla, in quibus praeter *nihil* pronomen *quidquam* genetivum regere videtur (cfr. infra Mil. 432 *quispiam aliquis* cum genetivo partitivo). Bacch. 1036 *nihil ego hodie tibi consili quicquam dabo;* Merc. 507 *laboriossi nil tibi quicquam operis imperabo;* ib. 666 *mihi nil relicui quicquam aliud iam esse intellego,* ubi observandum est etiam *aliud;* Merc. 738 *nil istius quicquamst;* quibus adiungendum est

nihilum. Merc. 399 *horunc illa nihilum quicquam facere poterit.* De his exemplis animadvertendum est, *nihil* non pro adiectivo, ut ait Georges in Lex. lat., sed pro substantivo ita usurpari, ut infra videbimus *aliquis* et *quispiam* coniungi (sub genet. partitivo). Cuius usus exempla permulta adferuntur a Brixio ad Mil. 432 et Lorenzio ad Pseud. 786. Iam vero si quaeritur, unde potissimum pendere genetivum putemus, quamquam ad utrumque vocabulum referri potest, aptius videtur tamen *nihil* voci subiungi, cum *nihil* iam per se sufficiat ad certam sententiam exprimendam et *quidquam* negationis confirmandae causa additum sit (cfr. infra Asin. 786 *nequid sui membri conmoueat quicquam*). Loch (*nihil* ad Bacch. 1036 neglegens) genetivum ad *quidquam* retulit (p. 18).

de praepositioni ablativus adiunctus ex *nil* pendet Mil. 905 *ad tua praecepta de meo nil his nouom adposiui.*

Pro genetivo adiectivi neutrius generis dicitur Mil. 905 *nil his nouom adposiui;* Rud. 1092 *certum nil dico.*

Pronominibus neutrius generis genetivus quantitatis a Plauto saepissime adscribitur. Ea autem pronomina, quae genetivum sibi adsciscunt, haec sunt: quid (interr. et indef.), ecquid, aliquid, quidquid, quicque, quidquam, hoc, illud, istuc, id, quod.

De notione huius constructionis ceterum animadvertendum est, non semper partem totius significari, sed ipsum

totum, quod ironice vel cum contemptu quodam exprimatur[1]). Horum pronominum longe usitatissimum est

quid, cuius cum genetivo constructi permulta et varia sunt exempla. Primus locus debetur genetivo *negoti.*

Talis verborum coniunctio cum in formulas quasdam certas abierit, hae aliquanti momenti sunt in fabulis Plautinis emendandis. Illae vero formulae, de quibus copiose disputaverunt Becker[2]) et Loch[3]), ortae sunt aut his duabus vocibus coniunctis: *quid negoti est,* aut pronominibus demonstrativis *hoc, illuc istuc* additis: *quid hoc negoti est* cet., aut dativo personae addito: *quid tibi negoti est;* ordo autem vocabulorum constans non est[4]). De pronominibus autem demonstrativis adhibendis si legem quaeris, nihil aliud pro certo confirmari posse videtur, quam semper ea admittenda esse, ubi sequente enunciatione secundaria explicatio quaedam additur, ad quam spectat pronomen demonstrativum (sicut ex. gr. Amph. 502 *quid istuc est, mi uir, negoti, quod tu tam subito domo abeas*), numquam autem in eis formulis, quibus additus est dativus personae. Praeterea cum illa quoque pronomina demonstrativa sola cum eodem genetivo saepius iungantur, quaestio oritur, utri potius tribuendus sit genetivus, pronomini interrogativo, an demonstrativo (cfr. infra *quispiam uicinorum aliquis;* et supra *nil istius quicquam,* cet.). Namque etsi dubium non est, quin in plerisque exemplis genetivus ex *quid* pendeat, nonnulli tamen ineniuntur loci, in quibus genetivus cum pronomine demonstrativo artissime cohaerere videatur. Quibus de causis hanc totam quaestionem, etsi ad pronominis demonstrativi vim explanandam fortasse magis pertinet, mihi quoque ita subeundam esse duxi, ut in quo rerum ac sententiarum nexu illae formulae usurpatae essent, ostenderem. Itaque formula illa sola

quid negoti est absolute, i. e. a nulla neque prae-

---

[1]) Cfr. Reisig-Haase Lat. Syntax neubearbeitet von Schmalz u. Landgraf (1888) adn. 530 p. 565.

[2]) Studemund Studia in prisc. script. collata I p. 178 sqq.

[3]) l. c. p. 14 sqq.

[4]) De ictu v. Loch l. l. p. 16 not.

cedenti nec sequenti interrogatione aut exclamatione aut explicatione pendens, his locis reperitur: Cist. 432 *men mulier uocas? — Te. — quid negoti est?* Curc. 601 *teneo: quid negotist;* Men. 609 *quid negotist;* ib. 1063 *quid negotist;* item Mil. 173, 317; Rud. 641, 951, 1058; Epid. 713 *ego faxo scies hoc ita esse. — quid est negoti;* Merc. 134 *quid est negoti;* item Most. 459, 742; Poen. 1089; Rud. 1228. — Post exclamationem hanc interrogationem simplicem si usquam suo loco usurpari contendit Loch. Aul. 296 *uah! — quid negotist;* Cas. 852 *uah! — quid negotist;* ubi recte mihi videtur Loch animadvertisse lectionem codicis A *quid id negotist* minus placere, quod et exclamatio praecedat, et *id* pro *hoc, illuc, istuc* in hac formula apud Plautum nusquam usurpetur (Merc. 136 *loquere id negoti quid siet* coniecturae Ritschelii debetur). Men. 432 *eho, Messenio, accede huc. — quid negotist;* Pseud. 129. 130 *tace, obsecro hercle. — quid negotist;* Amph. 580 *uah, apage ted a me. — quid est negoti;* ubi cum exclamatio praecedat, coniecturam Beckeri *istuc* inserentis reiciendam esse commonet Loch. Trin. 908 *uae misero mihi. — quid est negoti.* — Si altera interrogatio praecedit, pron. demonstrativum item omittendum esse dicit Loch. Cas. 654 *possum scire ego istuc ex te? quid negotist?* nisi cum Fleckeiseno, Beckero, Lochio comma ponendum sit post *te,* ut una exsistat interrogatio et *istuc* προληπτικῶς ex subiecto enunciationis secundariae in obiectum primariae commutatum cum *quid negotist* una sententia comprehensum esse' putemus (cfr. Trin. 88 p. 44). Mil. 277 *quid iam? aut quid negotist? fac sciam;* ubi cum altera interrogatio praecedat, coniecturam Fleckeiseni *hoc* inserentis improbat Loch. Mil. 421 *quid tibi istic in istisce aedibus debetur? quid negotist? quid nunc taces?* — Sequente altera interrogatione dicitur. Capt. 669 *sed quid negotist? quam ob rem suscenses mihi?* — Ex verbis sentiendi et declarandi pendet haec locutio: Epid. 101 *ut quid negoti sit sciam;* Aul. 296 *quid negoti sit rogas;* Mil. 317 *quid negoti sit rogas;* Truc. 785 *etiam num quid sit negoti falsus incertusque sum.* Primum locum genetivus

occupat Merc. 120 *curaest, negoti quid sit;* ubi *curaest* = scire cupit. Merc. 789 *nesceis negoti quid sit, uxor;* Poen. 590 *sed isti iam sciunt, negoti quid sit.* — Cum *hoc* demonstrativo coniunctum

quid hoc est negoti absolute dicitur Truc. 501 *tace!* — *quid hoc negotist? tace* enim aliam personam spectans, quam quae interrogat, nihil hic valet. Sed versus corruptus variis modis emendatus est (v. adn. Schoellii ad h. l.). — Sequente explicatione accusativo cum inf. aut *quod* explicativo expressa: Asin. 407 *quid hoc est negoti, neminem meum dictum magni facere;* Men. 762 *quidnam hoc sit negoti quod filia sic repente expetit me*; Bacch. 415 *quid hoc negotist, Pistoclerum Lydus quod erum tam ciet,* ubi *hoc* deleri voluerunt Ritschl et Fleckeisen, sed recte hic in editione sua sententiam mutavit; spectat enim *hoc* ad explicationem sequenti *quod* illatam. Cist. 607 *quid hoc negoti est, quod omnes homines fabulantur per uias filiam mihi esse inuentam.* — Sequente altera interrogatione: Bacch. 1121ª *quid hoc est negoti nam amabo? quis has ouis adegit?* Capt. 660 *quid hoc est negoti? quid ego deliqui?* Men. 522 *quid hoc est negoti? satin, ut quemque conspicor, ita me ludificavit?* Men. 997 *quid hoc est negoti? quid illic homines ad me currunt?* — Ex verbis sentiendi et declarandi pendent Capt. 698 *nunc scio quid hoc sit* [1] *negoti;* Men. 384 *nimis miror, quid hoc sit negoti.* Duobus locis verbum timendi positum est: Poen 1250 *misera timeo, quid hoc sit negoti;* Cas. 638 *timeo hoc negoti quid siet.* — Cum *illuc* pronomine coniunctum

quid illuc est negoti absolute ponitur Epid. 715 *quid illuc, Epidice, est negoti;* Men. 606 *quid illuc est, uxor, negoti;* — Sequente explicatione *quod* explicativo expressa Rud. 559 *quid illuc opsecro negotist, quod duae mulierculae hic in fano Veneris signum flentes amplexae tenent.* — Ex verbo sentiendi pendet Merc. 128 *quid illuc sit negoti lubet scire.* — Cum *istuc* pronomine coniunctum

quid istuc est negoti absolute dicitur Asin. 308 *quid*

---

[1]) *hoc sit* Bothe, *sit hoc* libri.

istuc est negoti; ita recte transposuit Bothe[1]) (et Mueller) pro librorum *negoti est,* quod versum non explet. Prorsus repudianda est coniectura Fleckeiseni *tibi* inserentis, cum formulae illi *quid tibi negoti est* pronomen demonstrativum numquam addiderit Plautus (v. infra). Multo minus *exortum est* probari potest, quod Ussing pro *est* edidit. Mil. 1346 *quid istuc est negoti;* Rud. 627 *quid istuc est negoti;* Merc. 825 *quid istuc negotist;* ib. 967 *di te perdant. quid negotist nam quaeso istuc.* — Sequente explicatione *quod* explicativo aut particula interrogativa *quor* expressa: Amph. 502 *quid istuc est, mi uir negoti, quod tu tam subito domo abeas;* Rud. 638 *ut mi istuc dicas negoti quid sit quor tumultues.* — Sequente altera interrogatione Cist. 577 *quid istuc negoti est, aut quis es?* — Ex verbis sentiendi et declarandi pendent Amph. 825 *nescio quid istuc negoti dicam, nisi si quispiamst Amphitruo alius;* Trin. 88 *sed istuc negoti cupio scire quid siet.* Hic profecto haud sine causa quaeritur, num *quid* propius cum genetivo cohaereat, quam *istuc.*

Dativo personae addito haec formula numquam pronomen demonstrativum *hoc, illud, istuc* admittit; neque tamen sic nude ponitur, verum semper aut ea persona, quacum negotium est alicui, nominatur, aut locus designatur, ubi aliquid egerit is, a quo quaeritur, quid ei negotii sit.

quid tibi negoti est mecum. Cas. 97 *quid tibi negotist mecum;* Men. 370 *quid mecum tibi fuit umquam aut nunc est negoti;* Mil. 425 *quis tu homo's? aut mecum quid negotist*[2]); Cas. 673 *quid cum ea negoti tibist;* Poen. 1306 *quid tibi negotist autem quom istac.* — Altera formula

quid tibi negoti est hic usurpata est Most. 945 *sed quid uobis est negoti hic;* Trin. 1001 *quid illi negoti fuerit ante aedis;* Amph. 350 *quid apud hasce aedis negotist nunc tibi*[3]); Aul. 427 *sed in aedibus quid tibi meis nam erat negoti me absente;* Epid. 499 *quid tibi negotist meae domi igitur;* Truc.

[1]) Cfr. de hac verborum collocatione Loch p. 15.

[2]) *negotist* Ritschl et Lorenz, *est negoti* ex libris scripsit Brix.

[3]) *nunc tibi negotist* Fleckeisen.

281 *sed quid apud nostras negoti, mulier, est aedis tibi;* Mil. 441 *quid hic tibi in Epheso est negoti.*

Tum *quid negoti* obiecti loco ad verba *gerendi, conficiendi, dandi* refertur. Genetivus hoc modo usurpatus adiectivo attributo *(novi, mali)* propius determinari potest; quod in exemplis supra allatis nusquam fieri vidimus.

quid negoti geram. Men. 115 *rogitas ... quid negoti gerarı;* Pers. 714 *ille quidem iam scit, quid negoti gesserit;* Truc. 383 *quid tu hic me absente noui negoti gesseris.* Recte enim mihi Schoell videtur pro librorum *quod ... noui negoti gesseris* rescripsisse *quid n. n. g.*, quoniam aut cum Bothio *gesseras* scribendum fuit (cfr. Most. 1017 ad *quod*), aut *quod* in *quid* mutandum; hoc vero praeferendum est.

quid negoti confeci. Most. 531 *quid ego hodie negoti confeci mali.*

quid negoti dat. Trin. 847 *uiden egestas quid negoti dat homini misero mali*[1]).

Praeterea genetivus *negoti,* quem supra iam vidimus ex *quantum, plus, nimium, nihil* pendentem, infra saepius occurret (v. *hoc, illuc, istuc, ...*); pluralis vero negotiorum non usurpatur.

Simili modo et significatione simili atque genetivus *negoti* huic pronomini interrogativo et indefinito adiungitur genetivus *rei,* quamvis multo rarius. In eo tamen discrimen quoddam animadvertendum est, quod huic structurae a Plauto nulla adiunguntur pronomina demonstrativa et quod genetivus pluralis *rerum* pro singulari *rei* usurpatur, cum ad verba gerendi *quid* pronomen obiecti loco refertur.

quid rei est. Epid. 203 *quid reist;* Merc. 964 *quid reist;* Men. 764 *iam scio, quid siet rei;* Pseud. 1120 *ut sciam quid rei sit.* — Dativo personae addito

quid tibi mecum est rei. Men. 323 *quid tibi mecumst rei;* ib. 494 *quid tibi mecumst rei;* indefinitum est *quid* in duobus quae sequuntur exemplis: Poen. 1405 *ne quid tibi quom istac rei sit incassum obsecro;* Rud. 487 *si quis cum*

---

1) *mali* libri, quod retinendum est; *male* Hermann.

eo quid rei conmiscuit. — His subiungendum est Pseud. 68 *quid ego ero dicam meo malae rei euenisse;* ubi adiectivum genetivo attribuitur (cfr. genet. *mali negoti*, supra). — De altero loco, ubi genetivo *rei* pronomen *huius* attributum est: Aul. 801 ut *quid huius rei sit sciam,* v. infra *quid huius.*

Sequuntur ii loci, in quibus *quid* cum genetivo plurali *rerum* coniunctum obiecti loco ex verbis *gerendi, agendi, agitandi* pendet. Quorum verborum usitatissimum est *gero.*

quid rerum geram. Aul. 54 *ne me obseruare possis, quid rerum geram;* ib. 117 *rogitant me, quid rerum geram;* Men. 789 *ne id obserues, quid rerum gerat;* Mil. 397 *timeo quid rerum gesserim;* Pers. 513 *Persae quid rerum gerant;* Rud. 897 *Gripus seruos noster quid rerum gerat miror;* ib. 1068 *quid tu me curas quid rerum geram.*

quid rerum agam. Pseud. 1063 *quid rerum meus Ulixes egerit.*

quid rerum agitem. Capt. 376 *quid rerum hic agitem et quid fieri uelim.*

Inter ceteras structuras huius pronominis cum genetivo iuncti, quae sunt permultae, praecipue animadvertendae sunt eae, quibus non sine aliqua contemptione persona quaedam nominatur, cum pro *qui* (vel *qualis*) nomini personae attributo *quid* cum genetivo eiusdem nominis ponatur.

quid viri. Poen. 856 *nescio quid uiri sis.*

quid hominis. Amph. 576 *quid hoc sit hominis;* ib. 769; Poen. prol. 92 *facite coniecturam, quid id sit hominis.* — Huc etiam referendum esse videtur

quid hominum. Rud. 149 *quid illuc est, Sceparnio, hominum secundum litus.* — Aliter se habet Epid. 210 *captivorum quid ducunt secum* (cfr. infra).

Tum *quid* cum genetivo *aetatis* coniungitur, ut quantum quis aetate sit provectus indicetur; quae coniunctio verborum ob eam rem praecipua commemoratione digna est, quod cum ceterae omnes aut subiecti aut obiecti locos teneant, haec sola pro ablativo vel genetivo qualitatis usurpatur. *Quid* ipsum accusativus est.

quid aetatis. Pers. 276 *scio ego, quid sim aetatis;* Merc. 290 *quid tibi ego aetatis uideor.* (Similia cfr. infra *hoc, illud, istuc, id*).

Praeter ea quae hucusque attulimus exempla apud Plautum permulti inveniuntur genetivi substantivorum, adiectivorum, pronominum ex *quid* pronomine interrogativo et indefinito pendentes. His quoque genetivis item ut genetivo *negoti* nonnumquam praeter *quid* pronomen demonstrativum adiectum est.

Substantivorum hi sunt genetivi:

quid animi. Amph. prol. 58 *teneo quid animi uostri siet;* ib. 689 *quid animi habeam;* Merc. 452 *quid sit ei animi.*

quid auxili. Epid. 82 *nisi quid in tete auxilist;* Pseud. 61 *nisi quid mihi in test auxili.*

quid commerci. Aul. 631 *quid tibi mecumst conmerci, senex;* Bacch. 117 *quid tibi commercist cum dis damnosissumis;* quae exempla conferenda sunt cum eis, quae supra attulimus: *quid tibi mecum est negoti, quid tibi mecum est rei.*

quid commissi. Men. 771 *nisi aut quid commissi aut uiti iurgist causa* [1]).

quid consili. Asin. 358 *quid consili captandum censes;* Bacch. 606 *ut quid consili dem meo sodali nesciam;* Merc. 346 *quid consili capere possim;* Mil. 478 *ne quid tecum consili conmisceam;* Rud. 204 *consili quid capessam;* Rud. 950 *boni consili sei quid* [2]) *in te mihist;* Trin. 763 *quid consilist.*

quid damni. Asin. 182 *quid damni faciat;* Merc. 784 *sei quid damnei facis aut flagiti.*

quid diuorti. Aul. 233 *si quid diuorti fuat.*

quid doni. Poen. 998 *doni uult tibi dare nescio quid.*

quid flagiti. Poen. 610 *quid id est flagiti.* — De Merc. 784 v. supra *quid damni.*

quid furti. Poen. 1138 *quid id furtist.*

quid imperi. Men. 1030 *si quid imperist in te mihi.*

[1]) Ita Schoell *uiti* addens. Seyffertum vero et Muellerum Brix et Ussing secuti *nisi aut quid commisit uir, aut iurgi est causa* scripserunt.

[2]) *consili sei quid* Schoell pro *consiliis ecquid.*

quid loci. Asin. 35 *quid istuc sit loci.*

quid lucri. Pseud. 267 *si lucri quid detur.*

quid membri (quicquam). Asin. 786 *nequid sui membri conmoueat quicquam,* i. e. „ne quam partem ullius membri sui“ (Uss.). De addendo *quicquam* cfr. Most. 256 *quid illa pote peius quicquam mulieri memorarier,* et supra *nihil quicquam.*

quid mercimoni. Most. 904 *quid tibi uisumst mercimoni hoc esse.*

quid modi. Asin. 167 *quid modist dando;* ib. 169 *quid modist ductando, amando;* ib. 882 *quid modi amplexando facies;* Men. 233 *quid modi futurumst illum quaerere;* Mil. 1311 *quid modi flendo quaeso hodie facies.*

quid morbi. Asin. 56 *sed eum morbus inuasit grauis. — quid morbist;* hic verbum *esse* ut in voce repetita delere voluit Brix, repugnat Loch (p. 17) propter Trin. 763 *quid consilist;* Merc. 673 *quid onerist;* ubi libri item *est* habent (cfr. infra Curc. 664 *quid dotis*). Men. 889 *quid illi esse morbi dixeras.*

quid pericli. Asin. 903 *quid pericli sit.*

quid praesidi. Rud. 683 *nisi quid re praesidi adparas; praesidi* enim scripsit Fleckeisen pro librorum *praesidium.*

quid preti. Men. 972 *quid eis preti detur ab eris suis.*

quid signi. Amph. 421 *signi dic quid est;* ib. 787 *signi quid siet.*

quid uerbi. Cist. 439 *quid istuc est uerbi;* Curc. 31 *quid istuc est uerbi;* Epid. 350 *quid istuc est uerbi;* Pseud. 608 *quid istuc uerbist.* Huic constructioni pronomen *istuc* praecipue aptum esse videtur, cum in omnibus exemplis inveniatur.

quid tumulti. Cas. 649 *quid intus tumulti fuit;* Poen. 207 *quid istuc tumultist, Milphio.*

quid animae. Aul. 303 *ne quid animae amittat;* ib. 305 *ne quid animae forte amittat dormiens.*

quid causae. Rud. 758 *quid causaest;* Pseud. 533 *numquid causaest;* Trin. 1188 *numquid causaest;* Stich. 202 *quid siet causae;* Aul. 92 *ne causae quid sit quod* cet.

quid prouinciae. Stich. 703 *quid istuc est prouinciae autem.*

quid clamoris. Aul. 403 *quid hoc clamoris oritur hinc ex proxumo;* Trin. 1093 *quid hoc hic clamoris audio;* Cas. 620 *quid illuc clamoris opsecro in nostrast domo;* Rud. 614 *quid hic in Veneris fano meae uiciniae clamoris oritur.* Animadvertendum est, in his omnibus exemplis praeter pron. demonstrativum loci significationem expressam esse, in postremo autem exemplo pronomen demonstrativum omissum et loci notionem pluribus verbis expressam esse. Quare non sine causa *hic* in *hoc* mutari voluit Fleckeisen, quamquam codicum auctoritas non est neglegenda (cfr. Mueller Addit. ad Pros. p. 51).

quid conduplicationis. Poen. 1297 *quid hoc est conduplicationis.*

quid dotis. Aul. 258 *ne quid dotis adferret;* Curc. 664 *quid dotis* (sc. dabis); ubi *dotist* scribere voluit Loch (p. 17) Trin. 763 *sed vide consilium, si placet. — quid consilist?* conferens. Utrumque dici posse censeo, sed librorum auctoritas servanda est (cfr. supra Asin. 56 *quid morbist*). Poen. 1279 *et dotis quid promeiseris* [1]).

quid laboris. Amph. 172 *non reputat laboris quid sit* [2]); Trin. 1181 *si quid tibi, pater, laboris.*

quid mercedis. Bacch. 14 *uideas mercedis quid tibist aequom dari;* Pseud. 1186 *quid mercedis petasus hodie domino demeret;* Rud. 1121 *ob eam si quid postulat sibi mercedis dabitur.*

quid muneris. Mil. 939 *quid tibi ego mittam muneris.*

quid oneris. Merc. 673 *quid oneris; onerist* defendit Loch (cfr. supra Asin. 56 *quid morbist*).

quid opis. Cist. 504 *nisi quid mihi opis di dant, disperii.*

quid sceleris. Most. 478 *quid istuc est sceleris* [3]).

---

[1]) Versum spurium esse censet Ussing.

[2]) Versum damnavit Fuhrmann probantibus Goetzio et Loewio.

[3]) *est sceleris* coniectura Spengelii probata est a Lorenzio, Muellero (Pros. p. 255), Beckero (Studia in prisc. script. p. 135), aliis. Libri praebent *est sceleste,* Dissaldeus *est scelesti.*

quid sermonis. Poen. 822 *quid habeat sermonis, auscultabo.*

quid concharum. Rud. 304 *nisi quid concharum capsimus.*

quid litterarum. Rud. 1157 *in eo ensiculo litterarum quid est.*

quid miseriarum. Epid. 526 *si quid hominist miseriarum.*

quid turbarum. Aul. 405 *ne quid turbarum hic itidem fuat;* Men. 846 *prius quam turbarum quid faciat amplius.*

quid captivorum. Epid. 210 *captivorum quid ducunt secum* (= quot captivos, cfr. *quid uiri*).

Adiectivorum hi sunt genetivi:

quid boni. Cist. 364 *quid illi promisi boni;* Merc. 471 *quid mist in uita boni;* Most. 370 *quid mihi sit boni, si mentiar;* Pers. 514 *nescis, quid te instet boni;* Pseud. 1067 *quid est boni;* Rud. 415 *hem, quid hoc bonist*[1]*;* Amph. 636 *boni si obtigit quid;* Asin. 719 *sciam, ubi boni quid dederint;* Men. 1144 *gaudeo si quid propter me euenit boni;* Merc. 145 *an boni quid usquamst;* Merc. 177 *si boni quid ad te nuntiem;* Pers. 675 *si quid bonis boni fit;* Poen. 640 *si quid boni adportatis, habeo gratiam.* Sequentem versum codices talem exhibent: *boni de nostro tibi nec ferimus nec damus;* plerisque autem *boni* displicuit, quare aut *nil* inserendum esse putarunt (Mueller Prosod. Plaut. p. 158), aut *bonum* scribendum (Bothe, Koch, quos secutus est Ussing) aut *quidquam* substituendum (Goetz et Loewe: *de nostro tibi nec ferimus quicquam nec damus*). *bono*, quod in B est, retineri posse censet Ussing. Atque equidem nescio an etiam *boni* defendi possit. Ex verbis Lyci lenonis, quae praecedenti versu legimus, advocati vocem *boni* excipiunt neque formam eius ad suam orationem accommodant. (Aliter Loch p. 18). Poen. 792 *si quid boni promittunt, perspisso euenit;* Amph. 570 *quid mali sum, ere, tua ex re promeritus.*

---

[1]) Suadentibus Spengelio, Fleckeiseno, Kiesslingio pro ***bonist*** scribendum censet Loch ***novist*** (p. 17), cfr. Truc. 548 ***quid nouist.***

quid mali. Aul. 735 *quid conmerui mali;* Cas. 666 *quid illic obiectumst mali;* Merc. 165 *quid istuc est mali;* Cas. 628 *ne quid in te mali faxit ira percita;* Poen. 1327 *si quid lenoni huic optigit magni mali;* Rud. 1285 *si quid est mali lenoni, gaudent;* Trin. 53 *si quid mihi malist;* Amph. 605 *huic homini nescio quid est mali mala obiectum manu;* Merc 122 *mali nescio quid nuntiat;* Pers. 844 *nescio quid consulunt mali.*

quid amoeni. Merc. 359 *quid ibi inest amoeni.*

quid diuini. Poen. 466 *quid ei diuini aut humani aequomst credere* (cfr. infra genet. respectus).

quid iniqui. Rud. 647 *quid is iniqui fit.*

quid noui. Asin. 50 *quid istuc nouist;* Truc. 548 *sed quid illuc nouist* [1]; Most. 999 *numquid processit ad forum hic hodie noui.*

In eodem casu atque *quid* adiectivum ponitur his locis: Asin. 20 *si quid falsum dixeris;* Mil. 893 *dum ne quid bonum faciamus;* Pseud. 434 *quid mirum fecit? quid nouum?* (cfr. ib. 569 *nouom aliquid*).

Pronominum hi sunt genetivi:

quid huius. Aul. 802 *ibo intro, ut quid huius uerum sit sciam* [2].

quid eius. Cas. 556 *si quid eius esset.*

quid illorum. Bacch. 409 *minus mirandumst illaec aetas si quid illorum facit* (cfr. supra *nil* cum genetivo pronominum).

Hic est usus genetivi cum *quid* pronomine coniuncti; iam vero ad cetera pronomina transeamus, quae etsi satis usitata sunt apud Plautum, multo tamen rarius inveniuntur qnam *quid* pronomen.

ecquid *aceti,* cet. Pseud. 739 *ecquid habet aceti in pectore;* Poen. 385 *ecquid facies modi;* ib. 257 *ecquid gratiaest, quom huc foras te euocaui;* Pers. 310 *ecquid, quod*

---

[1] *nouist* Spengel, Kiessling; *boni est* libri.

[2] Codices *huius ueri* et *huius rei* exhibent, quod non sine causa in *huius verum* mutatum est (cfr. Ussing ad h. l. et Brix ad Mil. 1153).

mandaui tibi, est nunc speculae in te; Rud. 1030 *ecquid condicionis audes ferre;* Pers. 107 *ecquid hallecist; est* addidit Ritschl. Asin. 648 *ecquid est salutis;* Truc. 897 *equid, Astaphium, litiumst*[1]); Stich. 338 *ecquid adportas boni.*

aliquid *consili,* cet. Epid. 256 *reperiamus aliquid calidi conducibilis consili;* Merc. 660 *aliquid capiam consili;* Cas. 561 *aliquid contrahere cupio litigi inter eos duos;* Men. 765 *credo cum uiro litigi natum esse aliquid*[2]); Rud. 571 *da mihi aliquid ubi condormiscam loci;* Pers. 470 *quoi homini di propitii sunt aliquid obiciunt lucri* (cfr. genet. *lucri facere*); Truc. 425 *non audes aliquid, mi anime, dare munusculi;* Most. 253 *dabo aliquid hodie peculi tibi;* Stich. 711 *nimis uellem aliquid pulpamenti;* Rud. 574 *da mihi uestimenti aliquid aridi;* Capt. 585 *profecto iam aliquid pugnae edidit;* Men. 921 *quid cessas dare potionis aliquid;* Men. 209 *iube ...... aliquid scitamentorum de foro opsonarier*[3]); Aul. 671 *ut ego illic aliquid boni dicam;* Epid. 62 *uideor uidere conmeruisse hic me absente in te aliquid mali;* Merc. 772 *uerbum uetus, aliquid mali esse propter uicinum malum.*

In eodem casu atque *aliquid* pronomen adiectivum ponitur Pseud. 569 *nouom aliquid inuentum adferre addecet.*

quidquid *lucri,* cet. Most. 801 *lucri quicquid est, id domum trahere oportet;* Rud. 1009 *exurgebo quidquid umoris tibist;* Pseud. 169 *piscium quidquid sit, pretio praestinem* (= omnes pisces, cfr. Lorenz ad h. l. et supra *quantum*). — Uno loco, quo duo occurrunt adiectiva, alterum in genetivo, alterum in eodem casu, quo nomen regens, ponitur: Pseud. 759 *quicquid incerti mi in animo prius aut ambiguom fuit;* quod neglegenter ut in sermone quotidiano pro ambigui dici adnotat Lorenz.

Tum animadvertas velim etiam hunc usum Truc. 940 *da tu mihi de tuis deliciis meum quicquid pausillulum,* ubi Ussing (930) *deliciis, quicquid erit, pausillulum* scribit.

---

1) *equid* Buechcler, *quid* libri, *quid id* Bothe.

2) *litigi* et *aliquid* Spengelium secutus edidit Schoell: *litigium* et *aliquod* in libris est, quod retinuerunt Brix et Ussing.

3) Versum seclusit Schoell.

quicque cum genetivo duobus tantum locis invenitur Asin. 945 *quin ubi quicque occasionis sit, sibi faciet bene;* Stich. 62 *iam quidem in suo quicque loco nisi erit mihi situm supellectilis.* Posteriore loco Mueller (Pros. p. 347) *supellectilis* nominativum esse suspicatur et *quique* pro *quicque* scribendum.

quicquam saepius cum genetivo construitur. Most. 302 *nec quicquam argenti locaui aeque bene;* Amph. 157 *neque quicquam sit auxili.* (De scriptura codicis A Pseud. 397 *quicquam consili* v. supra *gutta*). Merc. 417 *neque propter eam quicquam eueniet nostris foribus flagiti;* Most. 418 *neque quicquam nobis pariant ex se incommodi;* Pseud. 1109 *nec boni ingeni quicquam in is inest;* Asin. 30 *caue mihi mendaci quicquam* (sc. dicas); Capt. 795 *ne quis in hanc plateam negoti conferat quicquam sui.* (De librorum *quicquam operis* Truc. 915 cfr. supra *hilum*). Cas. prol. 82 *neque quidquam stupri faciet;* Poen. prol. 99 *neque quicquam quom ea fecit etiamnum stupri*[1]); Cas. 912 *hau fuit quicquam holerum;* Rud. 301 *neque quicquam captumst piscium;* Amph. 248 *numquam etiam quicquam adhuc uerberumst prolocutus perperam;* Most. 925 *tibin' umquam quicquam uerborum dedi;* Curc. 65 *neque quidquam queo aequi bonique ab eo inpetrare;* Rud. 1419 *ni daturus nil sim neque sit quidquam pollucti domi;* Aul. 645 *si ego tui quicquam abstuli;* ib. 654 *neque tui me quicquam inuenisti penes;* Poen. 766 *tuorum apud me nemost nec quicquam tui.* (De Amph. 672 *numquam mihi diuini quicquam creduis post hunc diem;* et Asin. 854 *neque diuini neque mi humani posthac quicquam creduas* v. infra genet. respectus). — Cum genetivo *horum* coniungitur *quicquam* Most. 1071 *dissimulabo me horum quicquam scire.* — Cum *nil* coniunctum *quidquam* praeterea nonnullis iis locis cum genetivo construitur, quos supra attulimus.

Ablativus cum *de* praepositione hoc loco animadvertendus est: Poen. 641 *de nostro tibi nec ferimus quicquam nec damus;*

---

[1]) Versum additicium esse putat Guyet, consentiunt Goetz et Loewe.

sed cfr. supra *quid boni.* — Hic mihi adferre liceat etiam Truc. prol. 6 *si de uostro quippiam exorem;* et Most. 345 *num mirum aut nouom quippiam facit.*

hoc cum genetivo coniunctum est his locis: Mil. 956 *nam hoc negoti clandestino ut agerem mandatumst mihi;* Trin. 580 *dic hoc negoti quomodo actum est;* Asin. 128 *promerenti optume hocin preti redditur;* Most. 879 *bene merens hoc preti inde apstuli;* Men. 1018 *hoc praemi feres;* Amph. 463 *prospere hoc operis processit mihi;* Bacch. 343 *ne nauigarem tandem hoc aetatis senex;* Bacch. 1090 *hocine me aetatis ludos bis factum esse indigne;* ib. 1100 *me hoc aetatis ludificari* [1]); Trin. 787 *hoc me aetatis sycophantari pudet* (cfr. supra *quid aetatis*). — Alia temporis significatio in his exemplis inest: Amph. 154 *qui hoc noctis solus ambulem;* ib. 163[b] *qui hoc noctis med ingratiis excitauit;* ib. 292 *quem ante aedis video hoc noctis;* ib. 310 *non placet me hoc noctis esse: cenaui modo;* Curc. 1 *quo ted hoc noctis dicam proficisci foras.* — Bacch. 422 *nego tibi hoc annis uiginti fuisse primis copiae;* de quo exemplo cfr. infra. Eadem sententia saepius exprimitur genetivo obiectivo ex *copia* pendenti (cfr. infra genet. obiect.). Rud. 496 *quem propter hoc mihi optigit misero mali.*

illud cum genetivo raro coniunxit Plautus. Mil. 659 *at quidem illuc aetatis qui sit;* Rud. 453 *iam illud mali plus nobis uiuit quam ratae;* genetivum ad *plus* retulit Loch (p. 14), sed neque *illud* neque *quam* sic intellegi potest. Quare non dubito, quin ad *illud* referendus sit.

istuc aeque raro regit genetivum. Asin. 32[a] *ubi istuc est terrarum loci;* Mil. 618 *me tibi istuc aetatis homini facinora puerilia obicere.*

id pronomen paulo frequentius est cum genetivo constructum. Bacch. 1098 *relicuom id auri factum, quod ego ei stultissumus homo promisissem;* Merc. 136 *loquere id negoti quicquid est* [2]); genetivus cum *id* artius cohaerere videtur

[1]) Versum ad similitudinem v. 1090 confictum hic interpolatum esse censent Ritschl et Goetz.

[2]) Hic Ritschl coniecit *id negoti quid siet* (cfr. supra *quid negoti est*). Traditam scripturam defendit Seyffert.

quam cum *quicquid* (cfr. supra Trin. 580 *dic hoc negoti quomodo actum est*). Asin. 71 *neque puduit eum id aetatis sycophantias struere;* Amph. 646 *id modo si mercedis datur mi.* — Most. 866 *mihi in pectore [id] consili[st].* Ita lacuna a Ritschelio repleta est. Aliter Ussing: *mihi in pectore consiliumst cauere.*

In eodem casu quo pronomen *id* apparet adiectivum Men. 270 *id utrumque, argentum quando habebo, cauero.*

quod satis frequens est cum genetivo constructum. Trin. 803 *deprome inde auri ad hanc rem quod sat est;* Pseud. 440 *quod damni et quod fecisti flagiti;* Most. 1017 *quod me apsente hic tecum filius negoti gessit; quod* autem est: *illud quod* (v. Lorenzii adn. ad h. l.); ib. 1018—20 *mecum ut ille hic gesserit dum tu hinc abes, negoti? — quidnam? aut quo die?* Hic autem *negoti* neque ex *quidnam* pendet, neque ex alio quodam vocabulo, quod supplendum sit, sed summa admiraratione ex eis, quae dixit Theopropides, repetitur ab Simone. Merc. 991 *supplici sibi sumat quod uult ipse;* Trin. 250 *quod facit sumpti* (de quo v. infra); Poen. 217 *usque ab aurora ad hoc quod dieist;* Asin. 443 *ut quod sit sibi operis locatum efficeret;* Mil. 1156 *quod apud nos fallaciarum sex situmst* (cfr. Ussingii adn. ad h. l.). Rud. 1287 *de bonis quod restat reliquiarum;* Amph. prol. 47 *ut exprobraret quod bonis faceret boni;* Epid. 651 *quod bonist, id tacitus taceas tute tecum et gaudeas;* Trin. 1067 *illam alteram apud me, quod bonist, adponito.* In eis exemplis quae sequuntur *boni* item pro genetivo ex *quod* pendenti potius habendum est quam pro nominativo ad *di* relato. Bacch. 1188 *quod di dant boni caue culpa tua amissis;* Rud. 1229 *habeas quod di dant boni;* Poen. 1253 *nunc quod boni mihi dei danunt;* Bacch. 550 *quod posset mali faceret in me;* ib. 554 *ut ei quod posses mali facere faceres;* Poen. 793 *id quod mali promittunt, praesentariumst.* — Capt. 741 *in morte nihil est quod metuam mali* genetivus potius fortasse ad *nihil* referendus est. Cas. 772 *quasi nil sciant fore huius quod futurumst;* sic Ussingium secutus edidit Schoell, Brugmann vero duce Gepperto *quasei sei nesciant* scripsit, quam scripturam et Loch

et Brix (ad Mil. 1153) probant genetivum *huius* ad *quod* referentes. Locus enim in codicibus non integer mansit.

In casu pronominis ponitur adiectivum Aul. 760 *quod subrupuisti meum.*

Adverbia, quae cum genetivo iunguntur, aut quantitatis sunt averbia, aut loci, aut temporis, aut negativa. Genetivos iis adscriptos etsi vereor ne nonnulli rectius pro partitivis habendi sint, tamen cum inter genetivos quantitatis numerari soleant, omnes uno loco tractandos esse censui, quo facilius genetivi usus conspiceretur.

Adverbia quantitatis. Usitatissimum est

satis. Bacch. 1182 *satis iam uostrist conuiui;* Cist. 327 *ubi tuo iurando iuri satis sit subsidi;* Most. 1165 *supplici iam habeo satis;* Pers. 854 *satis sumpsimus iam supplici;* Mil. 1154 *domi esse ad eam rem uideo siluai satis;* Most. 1030 *uocis non habeo satis;* Mil. 1063 *satis habeo diuitiarum;* Bacch. 158 *satis historiarumst;* Mil. 718 *satis cepissem miseriarum e liberis;* Capt. 125 *sed satis uerborumst;* Mil. 584 *nam nunc satis pipulo improbo merui mali;* Trin. 249 *non satis id est mali*[1]); ib. 260 *amor amari dat satis quod aegrest.* Brevior huius adverbii forma est

sat. Stich. 734 *conuiui sat est;* ib. 620 *id mihi sat erit loci;* ib. 91 *sat est osculi mihi uostri;* Asin. 911 *sat salutist;* Truc. 259 *sat salutist, nil moror;* Bacch. 878 *ceterum uerbum sat est;* Rud. 866 *hic uerbum sat est;* Truc. 644 *uerbum sat est;* Amph. prol. 79 *sat habet fauitorum;* Bacch. 636. 637 *nunc agitas sat tute tuarum rerum;* Rud. 583 *sat litiumst;* Stich. 397 *sat seruorum habeo domi.* — Cum *-ne* suffixo interrogativo coniunctum

satin uno loco genetivum adscivisse videtur: Cist. 148 *satin uix reliquit deo quod loqueretur loci.* Ex *satin* pendere genetivum Loch existimat (p. 19), quamquam nullum videtur discrimen observasse inter hoc adverbium et *satis.* Ussing vero, cum *satin* idem fere valeat atque „nonne" (cfr. Most. 76 *satin abiit*), hinc genetivum pendere posse

---

[1]) Versum interpreti tribuit Buecheler, uncis inclusit Schoell.

negans scribere voluit „logis" pro loci, ut significaretur, eam suis logis, i. e. sua narratione nihil deo reliquisse; quod valde dubito num concinne ita exprimendum fuerit, etiamsi *logis* alibi usus sit poeta (cfr. Men. 779 *loquere paucis: non longos logos*). Atque equidem nescio an genetivus defendi possit, etiamsi *satin* per se minus aptum videretur, quod genetivum regeret. Namque ipsi sententiae genetivus aptissimus est („tantum loci, quantum loqueretur deus, vix reliquit"); et alibi paulo liberius genetivum adnexuit poeta (cfr. supra *plus* Epid. 675 *duodecim deis plus quam in caelo deorumst*). Sed *satis* adverbio omnem quantitatis significationem vereor ne Ussing non iure abiudicaverit, cum multis locis apud Plautum haec significatio manifesta sit (cfr. Men. 319 *satin hoc inquam, quod uides, tribus uobis opsonatumst, an opsono amplius*; Pers. 18 *satin ergo ex sententia,* cet. v. Lorenzii adn. ad Most. 76). Et partitivam vim retinuit *sat* quoque cum verbo agendi coniunctum Ter. Heaut. 225 *etsi is quoque suarum rerum satagit* (cfr. Ussing ad Bacch. 635, quo loco nescio unde lectionem petierit Georges, quam in Lex. lat. profert, *satagitas tu rerum tuarum;* Goetz et Ussing *agitas sat tute tuarum rerum* scribunt). Itaque hinc nullum peti potest argumentum, cur hunc locum Plautinum esse negemus, licet aliis de causis suspectus sit (cfr. Ussingii adn.).

adfatim. Men. 457 *adfatimst hominum;* Mil. 980 *tibi diuitiarum adfatimst;* Cist. 238 *aliorum affatim est, qui faciant,* cet.

largiter. Rud. 1188 *credo ego edepol illic inesse argenti et auri largiter;* Truc. 903 *ueteris uini largiter ut dies noctesque potet;* Rud. 1315 *largiter mercedis indipiscar;*

parum. Bacch. 671 *fortassis tu auri dempsisti parum;* Merc. 692 *parumne hoc est malae rei.* — Pseud. 477 *edepol merito esse iratum arbitror, quom apud te paruast ei fides* variis modis scribitur: *paruast ei fides* Mueller et Goetz, Fleckeisen *parumst ei fides,* Ussing vero aut *fidei* scribi maluit aut *fide.* Conferri potest Amph. 555 *facis, tuis uti nulla apud te fides sit;* ubi pro librorum *nulla* Draeger I, § 199, 3 *parum* scribit et *fides* pro nominativo habet.

pauxillum. Aul. 112 *ueri simile non est hominem pauperem pauxillum parui facere quin nummum petat;* recte intellexit Acidalius *pauxillum* cum *nummum* (gen.) coniungendum esse (cfr. Ussing ad h. l.).

Adverbia loci, quibus genetivi *loci, gentium, terrarum* adscribuntur, haec sunt:

ubi. Capt. 958 *propemodum ubi loci fortunae tuae sint facile intellegis;* Merc. 986 *ubi locist res summa nostra publica;* Rud. 1161 *ubi loci sunt spes meae;* Epid. 678 *ubi illum quaeram gentium;* Pseud. 619 *ubi me nouisti gentium;* Rud. 469 *ubi tu's gentium;* Truc. 914 *ubi mi amicast gentium;* Amph. 336 *ubi terrarum sim nescio;* Asin. 32[a] *ubi istuc est terrarum loci.* — Praeterea Men. 379 *ubi loci tu hunc hominem nouisti* Schoell addidit *loci,* alii *tute* pro *tu* scripserunt, alii alia inseruerunt.

ubinam uno tantum loco genetivum adscivit: Merc. 434 *ubinamst is homo gentium.*

ubiubi cum genetivo *gentium* duobus locis iungitur. Asin. 287 *perii, nisi Libanum inuenio, ubi ubist gentium;* Mil. 1379 *ubiubist gentium.*

ibidem. Cist. 354 *ibidem loci res erit.*

unde. Asin. 90 *unde gentium* (sc. id parem); Cist. 501 *nam, obsecro, unde haec gentium;* Epid. 483 *unde haec igitur gentiumst;* Pseud. 966 *unde hunc esse dicam gentium.* — Praeterea Cist. 580 *eloquere, unde haec sunt tibi, cito, crepundia* Loch coniecturam nescio cuius adfert *loci* pro *cito.*

quo. Bacch. 831 *quo gentium* (sc. sequar te); Rud. 824 *non hercle quo hinc nunc gentium aufugiam scio.*

quoquo. Merc. 858 *quoquo est abducta gentium.*

usquam. Aul. 411 *neque ligna ego usquam gentium praeberi uidi pulcrius;* Poen. 825 *neque peior alter usquamst gentium;* Mil. 685 *nam bona uxor suaue ductust, si sit usquam gentium;* qui versus etsi varie editur, miror tamen unde *nusquam* habeat Loch (p. 20); Pseud. 98 *neque libellai spes sit usquam gentium.*

nusquam sicut *ubinam, ubiubi, unde, quo, quoquo, usquam* semper cum genetivo *gentium* coniunctum apparet. Merc. 606 *ubi sum? — nusquam gentium;* Pseud. 402 *quaeret quod nusquam gentiumst;* ib. 405 *quae* (sc. minae) *nusquam sunt gentium;* Cas. prol. 70 *quod fit nusquam gentium;* Men. 262 *meretrices mulieres nusquam perhibentur blandiores gentium;* Amph. 686 *te nisi nunc hodie nusquam uidi gentium;* ib. 620 *num obdormiuisti dudum? — nusquam gentium;* ubi *nusquam gentium* pro adverbio negationis usurpatum esse potius videtur quam pro adverbio loci, nisi forte *ibi,* quod in sequenti versu est: *ibi forte istum si uidisses quendam in somnis Sosiam,* ad hoc spectat, ut ludens Amphitruo *nusquam gentium* locali sensu accepisse videatur. — Denique genetivus, qui est Epid. 335 *quod nusquam gentiumst,* coniecturae Goetzii debetur.

Restat ut videamus, num locali sensu

proxume cum genetivo coniungatur; qua de re inter viros doctos non satis constat. Etenim cum iis locis, ubi de hac re agitur, codices inter *proxime* et *proximae* titubent, alii illud retinentes formam *uiciniae,* quae omnibus locis huic voci addita est, pro genetivo, alii hoc praeferentes pro locativo haberi voluerunt. Utrumque ex ingenio sermonis latini videtur defendi posse: illud ad similitudinem adverbiorum accedit, quae sunt *ibidem loci, ubi terrarum, eo amentiae* cet.[1]); hoc simile est eis, quae sunt *militiae, domi, nostrae domi,* cet., quae saepius apud Plautum inveniuntur. Quae cum ita sint, videamus, quae sit codicum in hac re auctoritas. Bacch. 205 *ut istuc est lepidum: proxumae uiciniae habitat;* sic Goetz recepto *proximae uicinie,* quod est in B, scripsit; *proxime uicine* in D reperitur, *proxime uiciniae* autem cod. C et Charisius profert, quam lectionem recepit Ritschl, Lorenz, Ussing. Mil. 273 *scio me uidisse hic proxumae uiciniae Philocomasium;* sic Goetz, Ussing (in nova editione), Brix ex codd. AZ *proximae* scripserunt; F solus *proxime,* quod receperat Ussing in prima editione et Ritschl.

---

[1]) Cfr. Lorenz ad Most. 1062.

Itaque lectioni *proxumae uiciniae* plus videtur auctoritatis tribuendum esse, idque eo magis quod etiam Celsus *viciniae* non pro genetivo, sed adverbialiter dictum esse ut *domi militiaeque* intellexit [1]). Accedit quod Rud. 613 *meae uiciniae* fuisse videtur; namque Schoell et Ussing codices Lambini secuti et Turnebum, qui ex codice deperdito *meae uiciniae* addidit [2]), ita ediderunt: *quid hic in Veneris fano meae uiciniae clamoris oritur;* cuius loci nullam fecerunt mentionem Brix, Lorenz, Schaaf, Loch. Hic *uiciniae* tam aperte locativi naturam ostendit, ut etiam Ussing, qui Bacch. 202 (205 in editione Goetzii), dubitaverat, quam vere „proxumae" pro „proxume" ab aliis scriberetur, non solum eis locis, quos attulimus, hanc lectionem sine ulla dubitatione praeferendam esse censeat, verum contra omnium codicum auctoritatem substituendam esse Most. 1062 *sed quid hoc est, quod foris concrepuit proxumae uiciniae;* quam scripturam se praeferre dicit etiam Schaaf. In libris vero omnibus est *proxima uicinia* (*uicina* C), eaque lectione servata Buecheler l. l. ablativum pro locativo, ut saepe, usurpatum esse putat, eique adsentiri videtur Brix (Mil. 274) cum Luchsio ablativum statuens, sed cum *domo* comparans („von der nächsten Nachbarschaft, aus der n. N."), cui usui analogiam praebere ait Mil. 154 *sed foris concrepuit hinc a uicino sene.* Ritschelium autem hanc scripturam in *proxume uiciniae* commutantem secutus est Lorenz. In his difficile sane est quid verum sit pro certo diiudicare; neque codicum auctoritatem laedi oportet, neque ablativus *proxuma uicinia,* cum nusquam alibi inveniatur, multum verisimile habet. Sed utcumque est, *proxumae uiciniae* vix dubitari potest, quin et Plautino loquendi generi congruat et, si ita ponitur, pro locativo habendum sit; quod si adverbium loci additur (ut Mil. 273 *hic*), hoc quasi appositionis loco adiungitur, sicut *hic in proxumo, huc in proxumum, hinc de proxumo,* quae item apud Plautum saepius exstant [3]). Prave

---

[1]) Cfr. Buecheler de decl. p. 189 et Ussing ad Bacch. 202.

[2]) Cfr. Ussing ad Rud. 602.

[3]) Cfr. Brix Mil. 274.

igitur Loch (p. 19) genetivum *uiciniae* ex his adverbiis pendere statuit, nescio an Terentiano *huc uiciniae* (Andr. 70) deceptus, quem locum non defuerunt qui corrigere vellent [1].

Adverbia temporis excepto *primum*, quod cum genetivo *omnium* coniunctum longe usitatissimum est, proprio quodam more ita formantur, ut genetivi *loci* et *locorum* adverbiis nonnullis loci vel temporis adiuncti temporis adverbiorum munera suscipiant.

primum genetivo *omnium* et praeponitur et postponitur. Amph. 1135 *primum omnium Alcumenae usuram corporis cepi;* Asin. 650 *primum omnium seruos tuos nos esse non negamus;* Cas. 118 *primum omnium huic lucebis ... facem;* Merc. 608 *primum omnium periimus;* Pseud. 1026 *primum omnium iam hunc comparem metuo meum;* Stich. 726 *em tibi hoc primum omnium;* Trin. 523 *primum omnium olim terra quom proscinditur, in quincto quoque sulco moriuntur boues.* Genetivo his locis postponitur *primum:* Amph. 609 *omnium primum iste qui sit Sosia hoc dici uolo;* ib. 1088 *omnium primum Alcumena geminos peperit filios;* Capt. 389 *omnium primum salutem dicito matri et patri;* Most. 397 *omnium primum intro abi;* ib. 1154 *omnium primum sodalem me esse scis gnato tuo;* Trin. 236 *omnium primum amoris arteis quem ad modum expediant eloquar;* ib. 933 *omnium primum in Pontum aduecti ad Arabiam terram sumus;* Truc. 787 *omnium primum diuorsae state.* — Huc Schaaf adnumeravit Merc. 69 sq. *multo primum sese familiarium laborauisse;* num recte dubito, cum videatur potius ad *sese* referendum esse *primum* et pro adiectivo superlativo vel numerali habendum (v. infra g. part.). Neque enim dubito, quin *primum* initio etiam tum, cum genetivo *omnium* adiungeretur, adiectivum fuerit, cuius usus exempla inter ea quae attulimus animadvertenda sunt Stich. 726 *em tibi hoc primum omnium;* Amph. 609 *omnium primum ... hoc dici uolo;* quamquam raro a Plauto ita usurpatum est.

---

[1]) v. Reisig-Haase Vorles. (a. 1888) p. 576 not. (*huc uiciniam*).

Quae locutio postquam quasi in formulam quandam abiit, *primum* adverbii munere fungi incipiebat, velut Asin. 650 *primum omnium ... non negamus.* In plerisque tamen quae attulimus exemplis prima illa significatio adiectiva etiam nunc discerni potest; *primum omnium* enim quasi pro „hoc primum omnium dici volo" dicitur. Itaque Merc. 608 *primum omnium periimus* non est: primum vel primi periimus, sed hoc omnium primum dici volo: periimus. — Duobus locis

primumdum occurrit: Trin. 98 *primumdum omnium male dictitatur tibi;* Most. 400 *omnium primumdum haec aedes iam face occlusae sient.*

interea *loci*[1]) Pseud. 266 *interea loci si lucri quid detur;* Men. 446 *quom interea loci numquam quicquam facinus feci peius;* Truc. 32 *interea loci auctarium orat.*

postidea *loci.* Cist. 617 *postidea loci, qui deliquit, uapulabit;* Stich. 758 *postidea loci, ... celeriter lepidam et suauem cantionem aliquam occipito cinaedicam.*

adhuc *locorum* Capt. 385 *ut adhuc locorum feci, faciam sedulo.*

postid *locorum.* Cas. 120 *postid locorum quando ad uillam ueneris, dabitur tibi amphora una;* Poen. 144 *postid locorum tu mihi amanti ignoscito;* Truc. 661 *eradicare certumst cumprimis patrem, postid locorum matrem.*

Adverbium negativum unum invenitur

minume cum genetivo *gentium* duobus locis coniunctum. Merc. 421 *quid, si igitur reddatur illi, unde emptast? — minume gentium;* Poen. 690 *ita illi dixerunt, quei hinc a me abierunt modo, te quaeritare a muscis. — minume gentium.* Qui genetivus per falsam analogiam horum adverbiorum exstitisse videtur: *nusquam gentium, minume gentium.*

---

[1]) De significatione *loci* („die Verhältnisse") cfr. Reisig-Haase Vorles. § 358.

Genetivus partitivus.

Propria genetivi partitivi vis ac significatio ea est, qua singulae partes unius atque eiusdem generis per se intellectae exprimuntur. Hunc genetivum Plautus cum verbis, pronominibus, numeralibus, superlativisque coniunxit.

Verbis genetivus partitivus duobus tantum locis adiunctus est atque utroque quidem verbo

esse. Mil. 1016 *cedo signum, si harum baccharum es;* Cas. prol. 15 *nam iuniorum qui sunt non norunt;* quorum in priore exemplo ellipsin non recte statuunt Draeger I p. 449 et Holtze I p. 326 *(una),* neque in posteriore genetivum recte ex *qui* pendere putat ille. Illo enim loco genetivus a verbo segregari nullo modo potest, neque necessarium est, dummodo pravam illam opinionem, genetivum omnino non posse nisi ad nomen relatum poni, missam feceris. Altero autem loco si genetivum ad verbum proxime accedere nolueris, id saltem concedendum fuit, *qui sunt* coniuncta et quasi substantivi naturam induta genetivum adsumpsisse [1]). Ad *qui* si refertur genetivus, idem significatur atque ii iuniorum, qui sunt, i. e. vivunt, quod et huius loci sententiae minime aptum est et praecedenti versui Cas. prol. 14 *quam uos probastis qui estis in senioribus,* ubi *in senioribus* ad praedicatum haud dubie referendum est, male respondet. Optime igitur ad *sunt* refertur genetivus.

---

[1]) Cfr. supra Cist. 148 ***satin uix reliquit deo, quod loqueretur loci***, p. 56 sq.

Pronominibus masculini et feminini generis saepius adiungitur genetivus partitivus et nominum et pronominum. Pronomina, quae genetivum adsumunt, haec sunt: quis (interr. et indef.), qui, quisnam, ecquis, aliquis, quisque, unusquisque, quisquam, quivis.

quis et cum nomine coniungitur, quod in genetivo repetitur, et solum ponitur. Capt. 863 *quoi deorum*[1]; Men. 620 *numquis seruorum deliquit;* Capt. 540 *quis homost me hominum miserior;* Men. 812 *deosque do testis.* — *qua de re aut quoius rei rerum omnium;* Asin. 743 *ne quis se uideret huc ire familiarium*[2]*;* Mil. 174 *de tegulis modo nescioquis inspectauit uostrum familiarium*[2]*;* Men. prol. 23 *ne quis uostrum censeat;* ib. 51 *si quis quid uestrum Epidamni curari sibi uelit;* Trin. prol. 4 *ne quis erret uostrum.* — Poen. prol. 17 *scortum exoletum ne quod in proscenio sedeat;* ita Ritschl ex F scripsit, *ne quis* autem, quod BDZ exhibent, ab Acidalio cum *scortum exoletum* genetivis construitur (cfr. supra suffixum *-um* pro *-orum*).

qui. Rud. 384 *quippe qui quem illorum obseruat falsust.*

quisnam. Mil. 1047 *quanam ab illarum.*

ecquis. Capt. 511 *Philocratem equitem ex Alide ecquis hominum nouerit.* Hic lectio codicis B *omnium* cum minus apta visa esset, a Fleckeiseno in *hominum* mutata est; quod probavit Brix.

aliquis. Men. 623 *certe familiarium*[2] *aliquoii irata's;* Mil. 262 *non potuit quin sermone suo aliquem familiarium*[2] *participauerit de amica eri.* (Vide praeterea *unus*). — Uno loco genetivus quodam modo etiam ad *aliquis* referendus est, quamvis proxime cohaereat cum

quispiam. Mil. 432 *ne clam quispiam*[3] *nos uicinorum inprudentis aliquis inmutauerit;* quae loquendi consuetudo apud Plautum satis usitata est (v. Lorenz ad Pseud. 786,

---

[1]) *deum* Fleckeisen.

[2]) Nonnulli codices praebent *familiarum.*

[3]) Codicum scripturam *quispiam* defendit Brix; *quidpiam* Bothe et Ritschl.

Loch p. 11). Pseud. 219 *num tuorum conseruorum quoipiamst hodie tua opera nitidiusculum caput.*

quisque. Truc. 252 *ubi quamque nostrum prope uidet hasce aedis adgrediri;* Amph. 634 *ita quoiquest in aetate hominum conparatum;* ubi utrum ad *quoique,* an ad *aetate* genetivum potius referam, dubius sum; ad hoc magis inclinat mens (cfr. infra genet. poss.).

unusquisque. Asin. 153 *unum quodque istorum uerbum nummis Philippis aureis non potest auferre hinc a me, si quis emptor uenerit.* Curc. 295 *ex unoquoque eorum excutiam crepitum polentarium.*

quisquam cum genetivo pronominum coniunctum usitatissimum est. Pers. 55 *numquam quisquam meorum maiorum fuit, quin* cet.; Amph. 186 *neque alius quisquam ciuium sibi euenturum* (sc. opinatus fuit); ubi pronomini additum est *alius.* Aul. 179 *neque quisquam curialium uenit;* Pers. 489 *nec tuorum quoiquam, quod nolis, uolam;* Amph. 1099 *neque plorantem nostrum* [1]) *quisquam audiuimus;* ib. 1071 *neque nostrum quisquam sensimus;* Poen. 527 *haud quisquam hodie nostrum curret per uias;* Men. 994 *caue quisquam uostrum flocci fecerit;* Pseud. 186 *ne quisquam* [2]) *uostrarum neget;* Capt. 809 *eorum si ego quoiusquam scrofam in publico conspexero;* Asin. 769 *ad eorum ne quemquam oculos adiciat suos;* Pseud. 134 *quorum numquam quicquam quoiquam uenit in mentem ut recte faciant* [3]).

Hic animadvertendus est locus Men. 192 *ut superior sis mihi quam quisquam, qui impetrant,* ubi genetivum *eorum* requiras.

Pro genetivo partitivo huic pronomini ablativus apponitur cum praepositione

de coniunctus Most. 150 *quo neque industrior de iuuentute erat* (sc. quisquam; lacuna incipit). Alium locum, quem adfert

---

[1]) *nostrorum* F.

[2]) Librorum *quaepiam* a Fleckeiseno in *quisquam* mutatum; adsentiuntur Lorenz et Mueller (Pros. p. 616).

[3]) Capt. 700, ubi codices praebent *nec quisquamst mi aeque melius quoi uelim,* Mueller (Pros. p. 513) coniecit: *est hominum homo aeque* vel *est hominum adaeque.* Cfr. Brix et Langen (Beitr. p. 22).

Schaaf *ex* praepositionem praebentem Aul. 206 *neque illo quisquamst alter hodie ex paupertate parcior*, nescio an recte Ussing ita explicet, non numerum pauperum, sed eam vitae condicionem, unde oriatur parsimonia, intellegi. Holtze vero Camerarium secutus et collectivam vim substantivo *paupertate* substituens pro „ex ordine seu numero pauperum, ex pauperibus" dictum esse putat (I p. 6).

quiuis. Amph. prol. 27 *ille Iuppiter non minus quam uostrum quiuis formidat malum.*

His' proxime accedunt ii loci, ubi genetivus partitivus ad **pronominalia** vel **adiectiva numeralia** relatus est; apud Plautum haec inveniuntur: alter, uter, uterque, neuter, solus, ullus, nullus, unus. Quibus adiciendum est subst. nemo.

alter cum genetivo pronominum *ille* et *is* coniungitur. Cas. 445 *illorum me alter cruciat, alter macerat;* Epid. 240 *ibi illarum altera dixit illi, quicum ipsa ibat;* Mil. 62 *ibi illarum altera „ergo mecastor" . . . inquit;* Amph. 483 *eorum Amphitruonis alter est, alter Iouis;* ib. 1139 *eorum alter te inmortali adficiet gloria;* Poen. prol. 61 *eorum alter uiuit, alter est emortuos;* ib. prol. 96 *earum hic adulescens alteram efflictim perit;* ib. 1095 item. — Men. prol. 26 *inponit geminum item alterum in nauem pater,* vocabulum *geminum* pro accusativo verius fortasse, quam pro genetivo habetur, quamquam res pro certo diiudicari vix possit; neque ex Ritschelii coniectura in *geminorum* mutandum est (cfr. suff. *-um* pro *-orum*).

uter. Cas. 274 *experiemur, nostrum uter sit blandior;* Amph. fragm. XIV *qui nequeas nostrorum uter sit Amphitruo decernere;* Aul. 321 *uter uostrorumst celerior;* Men. 1085 *uter uostrorumst*[1] *aduectus mecum naui?* — Cum substantivo coniunctum Cas. 292 *utram harum uis condicionem accipe;* Trin. 228 *non liquet, utram harum artem expetessam.*

uterque. Asin. 688 *utrumque nostrum serua;* Truc. 961 *uerum utrique mos geratur amborum ex sententia;* genetivum

[1]) *uostrorum* Gruterus; quod in libris est *uostrum* retinet Brix.

ex *utrique* pendere censuit Loch, sed ad *sententia*, credo, referendus est.

neuter. Stich. 141 *certumnest, neutram uostrarum persequi imperium patris.*

solus uno tantum loco cum genetivo iungitur: Amph. 1083 *haec sola sanam mentem gestat meorum familiarium.*

Cum ablativo praepositionibus *ex, de* adiunctis duobus locis construitur *solus*: Most. 880 *solus nunc ego eo aduorsum ero ex plurumis seruis;* ib. 1126 *nunc ego de sodalitate solus sum orator datus;* quibus exemplis quomodo transitus ex adverbiali qui dicitur usu ad adnominalem sit factus, intellegitur.

ullus item uno loco genetivum sibi adscivit. Most. 712 *nihil erit quod deorum ullum accusites* (De *ullum* pro *quemquam* v. Lorenz ad h. l.)

nullus. Amph. 509 *feminarum nullast;* Rud. 281 *misericordior nulla mest feminarum;* Poen. 584 *nam istorum nullus nefastust.*

Huic voci ablativus cum *ex* coniunctus additur Stich. 343 *ex multis nequiorem nullum* (sc. conueni).

unus. Truc. 103 *oenus eorum aliqui*[1]) *ioculum amicae usque oggerit,* ubi praeter *unus* observandum est *aliquis* pronomen, id quoque ad genetivum referendum est (cfr. supra Mil. 432 *quispiam aliquis;* et *nihil).* Trin. 1023 *quorum hercle unus surrupiat currenti cursori solum.* — (De genetivo, qui ex *unus* superlativo adiuncto pendet, v. infra).[2])

Multo saepius ex *unus* pendet ablativus. Cum praepositione

ex coniungitur; Pseud. 392 *exquire ex multis illis unum, qui certus siet;* hoc tamen loco potius cum verbo coniunctus est ablativus. Stich. 421 *nunc hunc diem unum ex illis multis miseriis uolo me eleutheria capere;* Asin. 208 *me unice unum ex omnibus te atque illam amare aibas mihi;* Stich. 11 *patrem tuom meumque adeo unice unus ciuibus ex omnibus probus qui perhibetur.* In his duobus exemplis, quae supremo loco attuli, notio unius addito adverbio *unice* quasi augetur. Men. 370 *quia te unum ex om-*

---

[1]) *aliqui ioculum* scripsit Schoell, *aliquis oculum* libri.

[2]) Stich. 542, ubi in editione Goetzii est secundum A *erant minori ei adulescenti fidicinae, tibicinae,* Ritschl coniecerat: *erat illorum uni-*

nibus Venus me uoluit magnificare; Truc. 187 *te unum ex omnibus amat.*

His subiungam Pseud. 390 *pauci ex multis sunt amici homini,* etsi *pauci* cum genetivo a Plauto non construitur.

de. Capt. 482 *dico unum dictum de dictis melioribus;* Stich. 400 *ibo intro ad libros et discam de dictis melioribus;* supplendum *unum* existimat Loch l. c. p. 19, quod vereor ne paulo durius sit omissum, etiamsi ex nostro sermone *unum* vel *aliquod* desideratur.

in. Pers. 561 *tu in illis es decem sodalibus.* De *in* cfr. etiam Cas. 244 *te sene omnium in senecta neminem esse ignauiorem;* Aul. 723 *perditissimus sum omnium in terra.*

Sequitur ut eos locos enumeremus, ubi

nemo genetivo partitivo definitur. Amph. 146 *nemo horum intus familiarium uidere poterit;* Cas. 244 *te sene omnium in senecta neminem esse ignauiorem* [1]; Mil. 1370 *dicant seruorum esse praeter me fidelem neminem;* Trin. 542 *Surorum . . . nemo exstat;* Poen. 766 *tuorum apud me nemost;* Asin. 720 *nemo habet horum;* Poen. 540 *nemo nostrorumst suos rupturus ramices;* ib. 861 *nam nostrorum nemo dignust;* Stich. 674 *mirum uideri nemini uostrum uolo;* Mil. 761 *neminem eorum haec adseuerare audias.* — Praeterea Capt. 828, ubi Schoell scribit *quin hoc homine adaeque nemo uiuit fortunatior,* Brix praeeunte Camerario *qui homine hominum* cet. edidit; locus sanus non est *(qui hominum* exhibet cod. F). Truc. 300 *nemo homo hic apud nos solet perire;* ita secundum A edidit Schoell, sed *nemo hominum* in LZ exstat.

Hinc facilis est transgressus ad **numeralia**, quorum cum genetivo coniuncta praeter *mille* et *milia* apud Plautum nulla inveniuntur, nisi huc referre vis adiectivum *unus,* de quo supra egimus, et similia.

mille cum genetivo coniunctum apud Plautum pro substantivo habendum est. Is tamen locus, qui est Bacch. 928 *quom Priami patriam . . . mille cum numero nauium . . . subegerunt,* in multas is quidem partes interpretando trahitur. Holtze [2]) enim, qui lectionem Beckeri et Ritschelii *cum*

---

[1]) *te senum* F. Cfr. ceterum adn. ad h. l.

[2]) Synt. prisc. script. lat. I p. 413.

omittentium probat, *mille* hoc loco pro adiectivo usurpatum esse dicit; Draeger [1]) genetivum *nauium* ex *mille* substantivo pendere putat (item Schaaf p. 13); Loch autem (p. 10) utraque sententia reiecta *mille nauium* genetivum quantitatis esse contendit ex *numero* substantivo pendentem. Ab Aubero similia exempla pro „genetivo partium" habentur (ut classis trecentarum navium), ab aliis alio modo explicantur. [2]) Itaque primum quaeritur illo loco utrum *mille* pro substantivo, an pro adiectivo habendum sit. Quod cum apud Plautum semper substantivi munere fungatur, ne hoc quidem loco dubito, quin substantivum sit in casu ablativo positum. [3]) Quare ea ratio verba coniungendi, qua utitur Loch, minus placet, cum *numerus mille nauium* aliter vix intellegi possit, nisi si *mille* pro adiectivo habetur (cfr. numerus trecentarum navium). Itaque ne contra constantem usum Plautinum *mille* pro adiectivo habeamus, videntur *numero* et *mille* ita coniungenda esse, ut alterum alteri attributi loco tribuatur. [4]) Genetivus *nauium* quantitatis speciem prae se fert, si ad *numero* refertur, partitivi, si cum *mille* coniungitur. Verum praestat, credo, ablativum *numero* pro ablativo respectus qui vocatur habere; quae loquendi consuetudo apud alios scriptores satis nota est (cfr. apud Sallustium [5]) B. J. Cap. 53 § 4 *elephanti quattuor capti, reliqui omnes, numero quadraginta, interfecti*; ib. 93, 8 *itaque ex copia tubicinum et cornicinum numero quinque quam uelocissumos delegit*, cet.). Stich. 587 *mihi medimnum mille esse argenti uelim*; Merc. 491 *mille nummum plus quam poscet*; Rud. 1327 *mille dabo nummum* [6]); ib. 1406 *mille nummum dinumeraui*; Trin. 954 *qui mi mille nummum crederet Philippum*; ib. 959 *si*

---

[1]) Hist. Synt. I, § 57.

[2]) Auber Beitr. zur Lat. Gramm. p. 43 sq.

[3]) De hac ablativi forma v. Bücheler de decl. p. 161 et infra Trin. 959 *illo mille nummum*.

[4]) Cfr. Suecorum tusental (Tausendzahl), quod in unum vocabulum coaluit.

[5]) Editio J. H. Schmalzii a. 1883.

[6]) *nummum* B; *nummos* CFZ, quam lectionem recepit Ussing.

hunc possum illo mille nummum Philippum circumducere; unde satis apparet *mille* substantivum esse *(illo mille* abl.); ib. 966, 970, 1003, 1139 *mille nummum se aureum meo datu tibi ferre;* Bacch. 230 *mille et ducentos Philippum attulimus aureos;* ib. 272 *reddibit mille et ducentos Philippum.* Haec duo apud Plautum inveniuntur exempla genetivi partitivi ex *mille* cum alio numerali coniuncto pendentis, neque tamen hinc concludendum est, etiam *ducentos* cum genetivo construi solere, cum praesertim lectio non satis certa sit. Libri enim priore loco *philippos* habent, posteriore *ducentos et mille philippum;* Pareus vero *mille et ducentos Philippum,* unde Seyffert eam quam protuli lectionem restituit. Trin. 1158 *spondeo et mille auri Philippum dotis,* ubi *Philippum* ex *mille, auri* ex *Philippum* pendet. Men. 177 *mille passum commoratu's cantharum;* quod confusa loci et temporis longitudine dixit poeta (cfr. Ussing ad h. l.) Similiter dictum est Truc. 334 *tibi mille passum peperisti more moram.* Verum si hanc Schoellii et Boxhornii scripturam retinemus, facere vix possumus, quin pro adiectivo usurpatum esse *mille* iudicemus, quod a Plautino loquendi consuetudine abhorret. Quare mihi magis arridet Ussingii aliorumque sententia, qui pro librorum scriptura *quae* vel *qui tibi mille passum peperit more* ponunt *morae.* Ussing enim *ipsi tibi mille passum peperisti morae* edidit; itaque *morae* genetivus quantitatis est ex *passum* pendens, hic vero genetivus partitivo sensu ad *mille* referendus est.[1]) Mil. 1079 *quin mille annorum perpetuo uiuont;* ib. 1064 *plus mi auri millest modiorum Philippi;* Trin. 425 *mille drachumarum tarpezitae Olympico . . . redditae.*

milia. Poen. 472 *quom sexaginta milia hominum uno die uolaticorum manibus occidi meis.* — (474) *uolaticorum hominum?* Trin. 152 *nummum*[2]) *Philippeum*[3]) *ad tria milia,*

---

[1]) Cfr. praeterea Holtze I p. 33 sq., qui hunc genetivum pro genetivo mensurae habet.

[2]) De librorum scriptura *nummorum* cfr. supra suff. *-um* pro *orum.*

[3]) Formam *Philippeum* prave pro *Philippum* usurpatam esse probare vult Langen, Beiträge p. 87.

nisi genetivus ad *thensaurum* referendus est in v. 150 *thensaurum demonstrauit mihi in hisce aedibus.* — Denique ex Schoellii editione adfero Rud. 1314 *praeterea centum milia Philippi in pasceolo sorsus,* ubi sive ad *Philippi* vocabulum *auri* suppletur (cfr. Mil. 1046 *plus mi auri millest modiorum Philippi,* Trin. 1157 *spondeo et mille auri Philippum dotis;* Mil. 1061 *talentum Philippum* [1]) *huic opus aurist,* Poen. 732 *quom auri ducentis nummis Philippis);* sive *Philippi* (sc. nummi) pro substantivo habetur (cfr. Bacch. 590 *ut ducentos Philippos reddat aureos,* ib. 868 *nam nisi ducenti Philippi redduntur mihi,* 879 cet.; Poen. 670 *nummos Philippos,* ib. 732 *nummis Philippis,* cet.), utrumque dubito num Plautinum sit, cum neque *auri* omitti posse videatur, neque *Philippi,* si nominativus est, ad *milia* referri, quod genetivum postulat. Codicum scriptura corrupta ab aliis aliter emendata est: *centum nummi Philippei* Guietum secutus scribit Ussing, *Philippeae minae* ex Reizii coniectura probat Mueller (Pros. p. 248), *centum auri minae Philippi* mavult Langen (Beitr. p. 87); *(milia) Philippum* Goetz, fortasse recte, quamquam hoc loco quid scripserit Plautus difficile est pro certo diiudicare.

Ex **superlativis** pendentem genetivum partitivum Plautus saepius ponit. Neque tamen hic genetivus adiectivorum tantum superlativis adscribitur; saepe etiam ad superlativam notionem aliter expressam relatus est.

Adiectiva, quorum superlativis genetivus partitivus adiungitur, aut sola per se ponuntur, aut substantivis attributa sunt. Prioris generis haec sunt exempla: Pers. 779 *misserrumus hominum ut uiuam;* Trin. 543 *genus quod patientissumumst hominum;* Asin. 922 *immo es omnium hominum pol nequissumus;* Cas. 694 *occisissumus sum omnium hominum qui uiuont;* Men. 817 *omnium hominum exopto ut fiam miserorum misserrumus;* Most. 340 *salue, amicissume mi omnium hominum;* Asin. 314 *nos dicamur duo omnium*

---

[1]) *Philippi* praeeunte Seyfferto scripsit Goetz.

dignissumi esse; Aul. 723 *perditissumus ego sum omnium in terra;* Most. 911 *longe omnium longissumust;* Amph. 677 *quam omnium Thebis uir unam esse optumam diiudicat.* In hoc exemplo, quod proxime attuli, superlativi notio addita voce *unius* augetur et confirmatur (cfr. infra Rud. prol. 70). Merc. 69 *ibi multo primum sese familiarium laborauisse* (cfr. supra *primum* cum genet. quantitatis). Cas. 793 *abi hinc* . . ., *pessumarum pessuma.* Posterioris generis haec sunt exempla: Capt. 333 *optumum oras optumusque hominum es homo;* Most. 593 *tun, omnium hominum homo taeterrume, uenisti huc;* Aul. 227 *uenit mi in mentem, factiosum me esse hominem pauperum pauperrumum,* nisi forte ad prius genus referendum est (cfr. supra *miserorum miserrumus*). Rud. prol. 70 *nam Arcturus signum sum omnium unum acerrumum;* Amph. 648[b] *uirtus optumum praemiumst optumorum.*

Cum his conferenda sunt ea exempla, ubi ex cum ablativo iunctum ex superlativo pendet. Trin 94 *ex amicis certis mi es certissumus;* Poen. 1203 *sed hoc e multis maxumumst;* Stich. 120 *ex malis multis malum quod minumumst, id minumest malum.*

Animadvertendum est hoc quoque exemplum Capt. 822 *et petronem et dominum reddam mortalis miserrumos.*

Duo genetivi pretii, qui superlativam habent notionem, genetivum partitivum sibi adsciscunt Epid. 502 *fateor me omnium hominum esse Athenis Atticis minumi preti;* Mil. 558 *ratun es, dic, me hominem esse omnium minumi preti.*

Ex eodem genetivo pretii accusativus cum *ante* coniunctus pendet Asin. 858 *scito illum ante omnes minumi mortalem preti.*

Paulo liberius ad superlativam notionem his locis accommodatus est genetivus partitivus: Truc. 590 sq. *me illum amare omnium plurumum hominum erum tuom* (519)*; meque honorem illi habere omnium maxumum;* quibus locis manifestum est genetivum cum ipsis superlativis *plurumum* (Loch p. 19) et *maximum* per se coniungi non posse, cum *plurumum omnium hominum,* si ita coniungitur, nihil aliud significet atque maxima pars hominum omnium, *honorem maxumum omnium* autem (sc. hominum, quod verbum ex congruentia cum versu

praecedenti hic intellegendum est) nihil sit, vel certe hoc loco absurdum. Neque tamen negari potest superlativis effectum esse, ut genetivus adhiberetur, verum cum verbo artissime coniunctis: *plurumum amare, honorem maxumum habere.* Itaque superlativo significatur, aliquem ex numero quodam actionis potissimum compotem esse; quod cum aut de subiecto aut de obiecto intellegi potest, diversitas sententiae haec fere oritur: me omnium hominum summam esse amatricem eius, illum omnium hominum amatissimum esse mihi (a me). Ac profecto ambiguitas quaedam animadvertenda est; per se enim significare possunt duo illa exempla aut: ego praeter ceteros, i. e. magis quam ceteros illum erum tuum amo et colo, aut: ego magis quam ceteri (ceterae) amo cet. Ex nexu sententiarum atque ordine verborum illud praeferendum esse coniecerim.

Prorsus simile exstat exemplum ablativi cum *ex* praepositione coniuncti Most. 337 *illi ego ex omnibus optume uolo;* ubi etiam magis est apertum, ablativum ad adverbium per se non esse referendum, cum *optume ex omnibus* (sc. hominibus) quid sibi velit, omnino non intellegatur. Superlativo vero significatur, aliquem ex numero omnium praecipue spectari.

Hic commemoranda videntur nonnulla exempla, in quibus praeter superlativum cum genetivo artissime copulatum esse videtur *quantum,* quibus in omnibus genetivus *hominum* ponitur. Capt. 836 *quantumst hominum optume, in tempore eopse aduenis;* Rud. 706 *exi e fano natum quantumst hominum sacrilegissume;* Poen. prol. 90 *homini . . ., quantum hominum terra sustinet sacerrumo;* Pseud. 351 *quantum terram tetigit hominum periurissume.* Verum cum *quantum* a Plauto saepius cum genetivo coniungatur (v. supra genet. quantit.), magis ex *quantum,* quam ex superlativis nescio an hi genetivi pendere putandi sint. Itaque Loch (p. 14) Lorenzium (ad Pseud. 164) secutus et genetivum ad *quantum* referens idem significare ait ac *quidquid* cum genetivo, sive *quotquot,* quod prorsus congruit cum dicendi genere Plauti saepissime relativa pronomina liberius adnectentis. Neque tamen genetivus a superlativo prorsus segregandus est. Con-

ferenda sunt: Pseud. 37 *at te di deaeque, quantumst — seruassint quidem;* Aul. 785 *ut illum di inmortales omnes deaeque quantumst perduint;* Pseud. 535 *non unum in diem, uerum hercle in omnis quantumst* (sc. *me in pistrinum condas*) [1]*;* quibus addi potest Ter. Phorm. 853 *o omnium, quantumst qui uiuont, hominum homo ornatissume* (Lorenz ad Pseud. 339). His exemplis allatis satis apparere censeo, *quantum* hoc sensu sine genetivo et usurpari et intellegi posse, neque quidquam causae esse cur eorum earumque ex Lorenzii sententia (Pseud. 35) supplenda esse statuamus. Itaque in illis exemplis, quae proprie tractamus, *quantum est*, *quantum terram tetigit*, *quantum terra sustinet* conferri quodam modo possunt cum *uno* superlativo, unde pendet genetivus, addito.

Denique huc referendi sunt duo genetivi qui ex adiectivorum positivis superlativa quadam vi praeditis pendent. Amph. 204 *delegit uiros primorum principes;* Trin. 1115 *hic homost hominum omnium praecipuos.* — De adverbiis quibusdam superlativi forma et notione instructis v. supra genet. quantit.

His subiunctum velim Capt. 825 *non ego nunc parasitus sum, sed regum rex regalior;* quem non esse genetivum comparationis, sed „comparativum pro superlativo poni, quasi sit regum omnium hoc nomine dignissimus", recte monuit Ussing [2]).

Postremo loco pro genetivis partitivis habendi esse videntur hi: Merc. 608 *ad capita rerum perueni;* Truc. 790 *capita rerum mi expedito;* qui tamen ad similitudinem possessivorum prope accedunt.

---

[1]) Cfr. etiam Epid. 213 *tum meretricum numerus tantus, quantum in urbe omni fuit, obuiam occurrebant.*

[2]) Cfr. etiam Ed. Wölfflin in Archivo Woelffliniano VII p. 118.

Genetivus qualitatis.

Genetivus cum adiectivo attributo coniunctus, si qualis sit persona vel res quaedam exprimit, genetivus qualitatis dicitur; qui cum aut praedicato aut substantivo artius subiungi soleat, aut praedicati aut attributi locum occupat.

Ablativum eodem modo poni notum est; qui quidem casus apud Plautum multo frequentior quam genetivus est. Nam praeter genetivum *modi* cum pronominibus adiectivis *quoius, quoiuis, quoiquoi, huius, istius (isti), eius* coniunctum perpauci in fabulis Plautinis inveniuntur genetivi qualitatis. Falso enim mea quidem sententia huc referuntur a Lochio genetivi *nauci* et *nihili*, qui etiam tum, cum attributi loco ex substantivis pendere videntur, pro genetivis pretii habendi sunt; quippe qui quanti quis aestimandus sit, id proprie exprimant. Idem de genetivo *preti* cnm adiectivis *quanti, magni,* cet. coniuncto, quale est Cas. 98 *uilice haud magni preti,* contenderim; quae Loch huc item retulit. Aliter vero se habet *frugi*, qui si casus genetivus est, sicut mihi videtur, inter genetivos qualitatis iure numeratur etiam tum, cum omissum est *bonae* adiectivum; quamquam in prisca sicut in aurea latinitate adiectivum genetivo qualitatis addi solet [1]). Namque alii quoque casus huius vocis persaepe ita usurpantur, ut qualis quis sit, iis exprimatur. Qua notione *ad* cum accusutivo *frugem* apud Plautum invenitur Bacch. 1085 *ecquid eum ad uirtutem aut ad frugem opera sua conpulerit;* Trin. 118 *quin ad frugem conrigis?*

---

[1]) Posterioris enim aetatis sunt quae adferri solent exempla: *homo iustus et morum* Apul. apol. cap. 75, et *homo litterarum* Symmach. 1, 72 (cfr. Draeger § 200, 5).

quoiusmodi. Men. 221 *quoiusmodi isti homines erunt;* Men. 575 *cluentum fides quoiusmodi clueat;* Pers. 648 *quoiusmodi is, dic, in populo habitust;* Most. 642 *aedis inquam, sed scin quoiusmodi;* ib. 817 *uiden uestibulum ante aedis hoc et ambulacrum quoiusmodi,* (818) *age specta postes, quoiusmodi, quanta firmitate facti et quanta crassitudine* (de ablativo v. infra); ib. 908 *quoiusmodi gynaeceum;* ib. 1117 *quoiusmodi reliqui, quom hinc abibam, filium;* Pers. 386 *non tu nunc hominum mores uides, quoiusmodi*[1] *hic cum fama facile nubitur;* Rud. 83 *tempestatem quoiusmodi Neptunus nobis nocte misit proxuma;* Rud. 422 *heia corpus quoiusmodi;* ib. 424 *uel papillae quoiusmodi;* Trin. 501 *pro di inmortales, condicionem quoiusmodi.*

quoiuismodi. Pseud. 741 *murrinam, passum, defrutum, mellam, mel quoiuismodi;* sic Goetz scripsit lectionem codicis A servans. De varia emendandi ratione v. adn. Goetzii ad h. l. (cfr. etiam Schaaf p. 21). — *quoiuismodi* Pers. 386, ubi *quoiusmodi* scripsit Ritschl, ab aliis poni supra vidimus; item eo qui sequitur loco

quoiquoimodi. Bacch. 400 *sisne necne ut esse oportet: malus, bonus quoiquoimodi;* ita Goetz Scaligerum secutus pro lectione librorum (BCD) corrupta *quacuius modi; quoivismodi* Luchs proposuit (l. l. p. 348), quod Schaaf (p. 22) amplexus est. De hac scribendi ratione et de *quoimodi* pro *quoius modi* cfr. ceterum Brix ad Men. 575 et Lorenz ad Pseud. 720.

huiusmodi. Amph. 938 *multa eueniunt huiusmodi;* ib. 941 *irae siquae forte eueniunt huiusmodi inter eos;* Bacch. 66 *penetrem me huiusmodi in palaestram;* Capt. 1033 *huius modi paucas poetae reperiunt comoedias;* Mil. 1023 *pedetemptim tu scis tractari solitas esse hasce huiusmodi mercis* (quod de feminis intellegendum est); Poen. 824 *uelut ego habeo*

---

[1]) *quoiuismodi* edidit Ussing duce Beckero, Lorenzio (cfr. etiam Luchs, Genetivbild. in Studemundi Stud. p. 347); scripturam codicum *cuiusmodi* praetulit Ritschl *quoiusmodi* scribens et enuntiatum interrogativum statuens.

hunc huiusmodi; ib. 1273 *nam alios pictores nil moror huiusmodi tractare exempla;* Pseud. 823 *herbas huiusmodi in aluom congerunt;* Trin. 795 *in huius modi negotio diem sermone terere.* — *huiusmodi* omnibus locis attributi munere fungitur.

istiusmodi. Trin. 552 *qui quidem istius sit modi;* Epid. 119 *malim istiusmodi mihi amicos furno mersos quam foro;* Merc. 144 *apage istiusmodi salutem;* Most. 746 *nil moror mi istiusmodi cluentis;* Rud. 321 *cum istius modi uirtutibus operisque natus qui sit.*

isti modi uno loco scripsit Schoell: Truc. 930 *qui, malum, bella aut faceta's, quae ames hominem isti modi* auctoritate codicum BCDZ innixus. Most. 746, quem locum supra attulimus, *istiusmodi* ita pronuntiandum est, quasi si scriptum esset istimodi (cfr. Lorenz ad Most. 746 et 1073). Et ita Ritschl scribendum esse censet ceteris quoque locis (cfr. Schaaf p. 21).

eiusmodi. Bacch. 676 *an nescibas, quam eius modi homini raro tempus se daret;* Mil. 801 *ille — eiusmodist — cupiet miser,* ubi pro codicum *eius modi est,* quod retinendum est, Ritschl *eius domi* coniecerat. Rud. 127 *nam ego propter eiusmodi uiros uiuo miser;* Trin. 337 *nil moror, eum tibi esse amicum cum eius modi uirtutibus.*

Reliqui genetivi qualitatis hi sunt: Men. 269 *ego autem homo iracundus* (sc. sum), *animi perditi;* Capt. 471 *nil morantur iam Lacones imi subselli uiros;* Stich. 489 *scis tu med esse unum imi*[1] *subselli uirum;* Capt. 855 *proin tu tui cottidiani uicti uentrem ad me adferas.* Most. 782 *ego homines habeo clitellarios, magni sunt oneris;* Men. 100 *itast adulescens: ipsus escae maxumae;* Aul. 325 *tun trium litterarum homo* (i. e. fur) *me uituperas;* Merc. 828 *pol haud censebam istarum esse operarum patrem.* Pro genetivis originis haberi possunt: Capt. 887 *quoius erat tunc nationis;* Merc. 525 *ge-*

---

[1]) *imi* ex Pii coniectura scripsit Ritschl, secuti sunt Goetz et Schoell ad Capt. 471, ubi *imi* FZ exhibent; *uni*, quod in ceteris libris est, defendit Luchs in Studemundi Stud. p. 324, Brix (Capt. 471), alii.

neris graecist; Poen. 245 *eiusdem seminis nos sumus;* ita hunc locum dubitanter constituerunt Goetz et Loewe pro eo, quod est in B *eius seminis mulieres sunt.* Ussing hunc et sequentem versum spurios habet, mire enim ait *eius seminis* dici pro eius generis. Pseud. 1196 *quem ego hominem nullius*[1]) *coloris noui;* sed versum seclusit Ussing *nullius coloris* latine ita dici posse negans („ita ignotus ut id, quod nullo colore praeditum est"), cui adstipulatur Langen (Plaut. Stud. p. 365); quod vereor ne iniuste faciant, siquidem Rud. 997 *quo colorest* dici potest. — Genetivis qualitatis etiam hos genetivos adnumeratos velim: Most. 82 *qui nisi nunc redit, paucorum mensum sunt relictae reliquiae;* de quo Ussing „cibaria", inquit, „intelleguntur atque adeo pecunia qua ea parari possunt"; h. e. de re familiari quod reliquum est paucos menses sufficiet. Quamquam hic genetivus sicut Poen. 1263 *multorum annorum miserias nunc hac uoluptate sedo*, potius fortasse genetivus mensurae appellari possit, qui cum genetivo qualitatis proxime cognatus est. Denique pro genetivo qualitatis videtur habendun esse Stich. 383 *poste unguenta multigenerum multa,* quod pro multorum generum dici Buecheler (p. 141) contendit; Asin. 299 *quot pondo ted esse censes nudum;* ib. 301 *nudus uinctus centum pondo's.* — De Bacch. 9 *illa mei cognominis fuit,* et de Most. 814 *te esse humani ingeni* v. infra sub genetivo obiectivo et possessivo.

Inter genetivos qualitatis denique numerandos esse censeo eos, qui sunt

frugi bonae, quos cum verbo esse coniungit Plautus. Capt. 956 *bonus uir numquam neque frugi bonae neque ero;* Cas. 327 *siquidem tu frugi bonae's;* Poen. 845 *quasi ipse sit frugi bonae;* ib. 1226 *tu frugi bonae's;* Pseud. 339 *dum ego uiuam, numquam erit frugi bonae;* ib. 468 *tamen ero frugi*

---

[1]) *nullius*, quod in libris est, retinendum esse censeo (cfr. Lorenz ad h. l. et Luchs, de genet. p. 336 not. 1 in Studemundi Stud.); *nulli* cum Pylade proposuit Ritschl.

bonae; Trin. 321 *quam probus sit et frugi bonae;* ib. 322 *nec probus est nec frugi bonae*[1]); Truc. 41 *atque est benignus potius quam frugi bonae.* Alius est ordo verborum Asin. 602 *numquam bonae frugi sient;* Capt. 957 *ne spem ponas umquam me bonae frugi fore;* Curc. 521 *fac sis bonae frugi sies;* Merc. 521 *bonae hercle te frugi arbitror* (hoc uno loco esse omissum est); Truc. 34 *temptat benignusne an bonae frugi sies.*

Sequuntur ii loci, quibus *frugi* sine adiectivo quasi pro adiectivo ipsum usurpatur (cfr. Loch p. 9). Asin. 175 *quae frugi esse uolt;* Aul. 719 *sedent quasi sint frugi;* Bacch. 370 *esse ut frugi possiet;* ib. 654 *nullus frugi esse potest homo, nisi qui* cet.; ib. 665 *si frugist;* Capt. 269 *uerum si frugist;* Epid. 493 *frugi's: pugnasti bene;* Mil. 1360 *fac sis frugi;* Pers. 454 *sin autem frugist*[2]); ib. 841 *nec sat liber sibi uidetur nec sat frugi;* Poen. 721 *ut frugi sies;* ib. 963 *si frugi esse uis;* ib. 1098 *frugist si id facit;* Trin. 441 *hic postulet frugi esse;* ib. 1182 *si tu modo frugi esse uis.* Amph. 959 *ita seruom par uidetur frugi esse instituere;* Asin. 857 *meum uirum rata sum probum, siccum, frugi;* ib. 861 *illum antehac hominem semper sum frugi ratus;* Aul. 587 *hoc est serui facinus frugi facere;* Cas. 255 *ut detur nuptum nostro uilico, seruo frugi;* ib. 268 *ut enim frugi seruo detur potius quam seruo improbo;* Curc. 502 *nec uobiscum quisquan in foro frugi consistere audet;* Epid. 693 *frugi's tu homo, Apoecides*[3]); Trin. 1018 *quia cum frugi homonibus ibi bibisti.* — De forma *frugi* cfr. Brixii adn. ad Capt. 956 et Lorenzii ad Pseud. 448.

De ablativo qualitatis.

Multo frequentior apud Plautum quam genetivus qualitatis est ablativus qualitatis. Quorum casuum quamquam uterque idem fere significat, ut difficile sit dictu, qua in re inter se differant, non multa inveniuntur substantiva, quae et in genetivo

[1]) Hunc versum, quem omittunt codices exceptis A et B, additicium esse censet Schoell.

[2]) Versum suspectum habuit Ritschl.

[3]) Pers. 67 *et frugi uirum* addidit Ritschl.

et in ablativo ponantur. Ea enim substantiva, quae in genetivo ponuntur, ablativum abhorrent; quae in hoc casu poni solent, in illo posita raro apparent. Uterque autem et praedicati et attributi loco usurpatur.

aetate. Aul. 162 *post mediam aetatem qui media ducit uxorem domum;* ubi ablativus *aetatate,* cum facile ex praecedenti accusativo *aetatem* suppleretur, omissus est. Aul. 253 *quem senecta aetate ludos facias;* Cas. 240 *senectan aetate unguentatus per uias incedis;* ib. 259 *senecta aetate officium tuom non meminisse;* Merc. 985 *si istuc ius est senecta aetate scortari senes;* Bacch. 15 *ne istac aetate me sectere gratiis;* ib. 1163 *tune, homo putide, amator istac fieri aetate audes;* Merc. 972 *te istac aetate haud aequom filio fuerat tuo . . . amicam eripere;* ib. 983 *temperare istac ted aetate his decebat noxiis;* ib. 520 *una aetate quae sit;* Bacch. 1079 *fui ego illa aetate et feci illa omnia.* (Cfr. infra *capite*).

aetatula. Rud. 894 *iam cluentas repperi, atque ambas forma scitula atque aetatula.*

Ablativus qualitatis eorum substantivorum, quae partes corporis significant, ponitur his locis:

capite. Merc. 305 *tun capite cano amas;* Most. 1148 *qui sunt capite candido;* Bacch. 1209 *non hodie hoc tantum flagitium facerent canis capitibus.* Cum ablativo *aetate* coniunctus Cas. 518 *„cano capite, aetate aliena“ eo addito ad compendium.*

Ablativo additur *cum* praeposititio Rud. 1303 *di te ament cum inraso capite.*

corpore. Asin. 944 *nec quisquamst tam ingenio duro nec tam firmo corpere.*

corio. Rud. 998 *sunt alii puniceo corio.*

dentibus. Truc. 224 *bonis esse oportet dentibus lenam probam* [1]).

fronte. Cas. 281 *te porrectiore fronte uolo mecum loqui;* qui ablativus modi haberi potest.

lingua. Poen. 1034 *qui huc aduenisti nos captatum, micdilix, bisulci lingua.*

malis. Asin. 400 *macilentis malis, rufulus* (sc. est); Merc. 643 *ne ille oblongis malis mihi dedit magnum malum.*

oculis. Mil. 1108 *cubare in naui lippam atque oculis turgidis* (cfr. infra *animo).*

pedibus. Merc. 595 *tam etsi podagrosis pedibus esset;* Epid. 627 *pedibus plumbeis qui perhibetur.*

---

[1]) Hunc et duo sequentes versus ex alia comoedia illatos esse putanti Fleckeiseno adsentitur Schoell.

ungulis. Pseud. 851 *an tu inuenire postulas quemquam coquom nisi miluinis aut aquilinis ungulis.*

pectore. Epid. 533 *quis illaec est timido pectore;* hic tamen pectus translato sensu usurpatur.

Complures ablativi qualitatis simul apparent: Bacch. 1101 *cano capite atque alba barba miserum me auro esse emunctum;* Capt. 647 *macilento ore, naso acuto, corpore albo, oculis nigris, subrufus* (sc. est); Merc. 640 *breuiculum subnigris oculis, oblongis malis, pansam aliquantulum;* Poen. 1112 *statura haud magna, corpore aquilost;* ib. 1113 *specie uenusta, crine atque oculis pernigris;* Pseud. 1218 *uentriosus, crassis suris, subniger,* (1219) *magno capite, acutis oculis, ore rubicundo,* (1220) *admodum magnis pedibus* (sc. fuit.); Rud. 318 *ecquem . . . senem . . . tortis superciliis, contracta fronte* (sc. uidistis).

Ablativo praepositio *cum* adiungitur Cist. 384 sq. *cum extortis talis, cum todillis crusculis, capillo scisso atque exscissatis auribus* (v. praeterea *genere).*

Similis est usus ablativi qualitatis, cum substantivis facie, specie, vultu exprimitur, qualis quis sit.

facie. Asin. 353 *neque qua facie sit scio;* ib. 399 *qua facie uoster Saureast;* Capt. 646 *sed qua faciest tuos sodalis Philocrates*; Poen. 592 *eum qua sit facie nescio;* ib. 1111 *earum nutrix qua sit facie mi expedi;* Pseud. 724 *si modo mihi hominem inuenietis propere. — qua facie?* ib. 1217 *qua facie fuit;* Rud. 1149 *dicito quid insit et qua facie;* ib. 1155 *qua facie sunt;* Trin. 903 *qua faciest homo;* Rud. 565 *qua sunt facie? — scitula;* Rud. 316 *nullum istac facie ut praedicas uenisse huc scimus;* Pers. 547 *sat edepol concinnast facie;* Rud. 314 *ecquem adulescentem nunc dum hic adstatis strenua facie rubicundum fortem uidistis;* Trin. 766 *homo conducatur aliquis iam quantum potest, ignota facie.*

specie. Bacch. 838 *bellan uidetur specie mulier;* Rud. 315 *eu, edepol specie lepida mulierem.*

uoltu. Most. 811 *non tu uides hunc uoltu ut tristi sit senex.*

Hic proxime accedunt:

forma. Amph. 316 *alia forma oportet esse quem tu pugno tetigeris;* Merc. 638 *qua forma esse aiebant;* Mil. 967 *lepida et liberali formast;* Pers. 130 *quia forma lepida et liberalist*; Epid. 43 *forma lepida et liberali captivam adulescentulam de praeda mercatust;* Men. prol. 19 *ei sunt natei filii geminei duo, ita forma simili puerei, ut* cet; Merc. arg. I, 2 *emit atque adportat scita forma mulierem;* Merc. 9 *ibi amare occepi forma eximia mulierem;* ib. 210 *neque credibilest forma eximia mulierem meae*

me emisse ancillam matri; ib. 260 *ibi ego aspicio forma eximia mulierem;* ib. 405 *quia illa forma matrem familias flagitium sit sei sequatur;* ib. 414 *ego emero matri tuae ancillam uiraginem aliquam non malam, forma mala;* Mil. 10 *stat propter uirum fortem atque fortunatum et forma regia;* ib. 782 *ecquam tu potes reperire forma lepida mulierem;* ib. 871 *mulierem nimis lepida forma ducit;* Pers. 521 *adduxit simul forma expetunda liberalem mulierem;* Stich. 381 *sambucas aduexit secum eximia forma.* Cum altero ablativo qualitatis coniunctus Amph. 614 *Dauo prognatum patre eodem quo ego sum, forma, aetate item qua ego sum* (v. praeterea *aetate, uirtute*).

habitu. Stich. 59 *seruos is habitu hau probost.*

statura. Pers. 699 *uideor uidisse hic forma persimilem tui, eadem statura.* Cum aliis ablativis qualitatis coniunctus Asin. 401 *uentriosus, truculentis oculis, conmoda statura, tristi fronte* (sc. est).

Deinde ablativus qualitatis ponitur horum nominum:

anima. Merc. 574 *anima foetida, senex hirquosus, tu ausculere mulierem.*

animo. Bacch. 612 *propteruo, iracundo animo, indomito, incogitato, sine modo et modestia sum;* Epid. 643 *animo liquido et tranquillo's;* Merc. 890 *potin ut animo sis tranquillo;* Most. 396 *potin' ut animo sis quieto;* Pseud. 232 *liquido's animo;* Rud. 685 *muliebri animo sum tamen;* Men. 203 *hoc animo decet animatos esse amatores probos.* Saepius ablativus *bono animo* invenitur: Amph. 671 *bono animo es. — scin quam bono animo sim;* ib. 1131 *bono animo es;* Cist. 71 *bono animo es;* ib. 425 *animo bono es.* Merc. 531; Mil. 1143, 1206, 1342; Pseud. 322. Cum alio ablativo coniungitur Bacch. 1015 *ego animo cupido atque oculis indomitis fui.*

ingenio. Aul. prol. 9 *ita auido ingenio fuit;* Bacch. 454 *hic quidem haud consimili ingenio atque illest;* ib. 615 *maleuolente ingenio natus* (sc. sum vel uiuo); ib. 1086 *eost ingenio natus;* Capt. 402 *me et te dicito, Tyndare, inter nos fuisse ingenio haud discordabili;* Merc. 969 *si sunt ingenio malo;* Poen. 1185 *quom ingeniis quibus sumus atque aliae gnosco* (hoc uno loco ablativus pluralis ponitur); Pseud. 137 *eo enim ingenio hi sunt flagritribae;* ib. 149 *ita uos estis neglegentes, perditi, ingenio inprobo;* ib. 1133 *illi sunt alio ingenio atque tu;* Stich. 116 *quae ingeniost bono;* Truc. 780 *quamquam uos colubrino ingenio ambae estis;* Most. 206 *pro di immortales, mulierem lepidam et pudico ingenio* (cfr supra *corpore*). — De Most. 814 *te esse humano ingenio* v. infra *esse* sub genetivo possessivo. — Cum hoc ablativo coniunctus est

natura. Trim. 812 *quid illum putas natura illa atque ingenio.*

moribus. Capt. 105 *ille demum antiquis est adulescens moribus;* Curc. 146 *uideo te inmutatis moribus esse;* Stich. 105 *quibus matronas moribus quae optumae sunt esse oportet;* Trin. 283 *noui ego hoc saeculum, moribus quibus sit;* ib. 825 *te omnes saeuomque seueromque, auidis moribus conmemorant;* Truc. arg. 5 *ui magna seruos est ac trucibus moribus.* Trin. 295 *meo modo moribus uiuito antiquis.*

Tum in ablativo qualitatis ponuntur ea substantiva, quae iam per se qualitatem exprimunt, qualia sunt:

audacia. Mil. 464 *neque eques neque pedes profectost quisquam tanta audacia.*

fide. Mil. 1369 *dicant te mendacem nec uerum esse, fide nulla esse te* (cfr. infra *uirtute*).

confidentia. Rud. 645 *quis homost tanta confidentia.*

gloria. Bacch. 26 *neque id haud subditiua arbitror gloria esse.*

* *misericordia.* Most. 802 *misericordia stulta haut esse hominem oportet;* lacunam, quae in textu inest, his verbis *(stulta haut esse)* supplevit Ritschl, secutus est Lorenz; iis adversatus Ussing scribit: *misericordia frangi nullum hominem oportet.*

pulcritudine. Mil. 998 *quae amat hunc hominem nimium lepidum et nimia pulcritudine.*

Huc pertinere videtur exemplum, in quo ablativus

firmitate, crassitudine ex participio pendet: Most. 818 *age specta postes, quoiusmodi, quanta firmitate facti et quanta crassitudine* (cfr. Ebrard l. c. p. 624).

colore. Rud. 997 *quo colorest? — hoc colore capiuntur pauxilluli.*

ditiis. Poen prol. 60 *fratres duo fuere summo genere et summis ditiis.*

virtute, factis. Mil. 57 *omnes mortales sciunt, Pyrgopolinicem te unum in terra uiuere uirtute et forma et factis invictissumis;* sic ex codicibus quibusdam edidit Ritschl, Brix et Goetz *invictissumum* scripserunt. Aul. 213 *quali me arbitrare genere prognatum. — bono. — quid fide? — bona. — quid factis? — neque malis neque inprobis.*

Ablativus qualitatis ad genus alicuius indicandum adhibetur:

genere. Cist. 128 *Sicyone summo genere ei uiuit pater;* Mil. 680 *licuit uxorem dotatam genere summo ducere;* Pers. 651 *summo genere esse arbitror;* Trin. 326 *adulescenti hinc genere summo ... bene uolo ego illi facere;* ib. 851 *hic quidem fun-*

gino generest; Aul. 554 *qui intromisisti in aedes quingentos coquos cum senis manibus genere geryonaceo* (cfr. praeterea *ditiis, uirtute).*

Ablativus ex *de* praepositione pendet Rud. 1197 *ego eam de genere summo adulescenti dabo.*

prosapia. Merc. 634 *rogitares quis esset aut unde esset, qua prosapia.* Huc etiam referendus videtur

factione. Cist. 318 *neque nos factione tanta, quanta tu sumus.* (De significatione huius vocis cfr. Ussing ad Aul. 160).

honore. Capt. 279 *quo honorest illic? — summo atque ab summis uiris.*

Denique ablativus qualitatis ponitur substantivorum

gradibus. Epid. 13 *ut tu es gradibus grandibus.*

nomine. Men. 1122 *uno nomine ambo eratis;* Capt. 590 *neque . . . ullus seruos istoc nominest.*

tunicis. Poen. 1303 *sane genus hoc mulierosumst tunicis demissiciis.*

sumptu. Aul. 484 *et nos minore sumptu simus quam sumus.*

uoce. Most. 576 *scio te bona esse uoce.*

Postremo inter ablativos qualitatis is quoque commemorandus est, qui pro adiectivo attributo adverbium *ut* sibi adscivit. Most. 708 *pol nescio ut moribus sient uostrae;* ubi iniuria videtur Lorenz neglegentiam scriptoris reprehendisse („nachlässiger Ausdruck für *quibus moribus* oder *ut moratae*"), cum saepius adverbia pro adiectivis et apud alios scriptores et apud Plautum usurpata sint (cfr. Ussing ad Amph. 571 *utinam ita essem).* Similis est locus Bacch. 1108 *igitur pari fortuna, aetate ut sumus, utimur.* Quamquam in his exemplis nescio an ablativus potius respectus quam qualitalis intellegendus sit, ut artius cum praedicato cohaereat *ut* quam cum substantivo.

Genetivus pretii.

Genetivus pretii qui dicitur apte in duas partes distribuitur ratione habita verborum regentium. In illa ei genetivi numerantur, qui ex verbis aestimandi et similibus pendent, in hac ei, qui ad verba emendi et vendendi referuntur. His verbis etiam ablativus pretii apponitur, ita tamen ut discrimen quoddam inter hos casus animadvertendum sit. Genetivi enim significatio generalis est, certa et definita pretii significatio ablativo exprimi solet.

Cum genetivo qualitatis hic genetivus, ut supra vidimus, apte cohaeret, tum praesertim cum ex verbo esse pendet. Quo verbo omisso si genetivus pretii substantivo subiungitur, ut si dicas „hominem haud magni pretii", tam similis est genetivo qualitatis, ut plerique huius similitudinis specie adducti nullum discrimen esse putaverint.

quanti ex his verbis pendet:

esse. Bacch. 821 *tantist quantist fungus putidus;* ib. 1135 *exoluere, quanti fuere*[1]); Capt. prol. 51 *homunculi quanti sunt, quom recogito;* ib. 145 *expertus quanti fuerit nunc desidero;* Merc. 270 *uosmet uidete ceterum, quanti siem*[2]); Rud. 155 *homunculi quanti estis.* Impersonalis est usus Pers. 596 *quantist*[3]) *hominem amicum adhibere.*

facere. Amph. 508 *quanti facias uxorem.*[4])

---

[1]) De *exoluere* (vel *exsoluere)* et de sententia huius loci cfr. Ussingii adn.

[2]) *qui siem* praebet cod. B.

[3]) *quantum est* ex plerisque libris Ussing.

[4]) Pseud. 939[b] *sed ego tibi quae bona dabo et faciam* Goetz scripsit, Kiessling vero *sed quanti te (faciam)*, quod probavit Lorenz, Ussing: *quam tibi dona* cet. edidit.

pendere. Truc. 398 *sese experturum quanti sese penderem.*

censere. Rud. 1272 *dic ergo, quanti censes* (De sensu huius loci v. Ussingii adn.).

indicare. Pers. 575 *modo sciam, quanti indicet.*

tanti his locis ad pretium indicandum adhibetur:

esse. Bacch. 821 *tantist quantist fungus putidus.*

facere. Merc. 16 *quos edepol ego credo humanas querimonias non tanti facere.*

indicare. Pers. 661 *qui datur, tanti indica*[1]).

tantidem *esse.* Merc. 315 *decrepitus senex tantidemst, quasi sit* cet.

magni ex *facere* pendet Asin. 114 *te facio haud magni;* ib. 214 *neque quid uelim neque nolim facitis magni;* ib. 407 *neminem meum dictum magni facere;* Cist. 21 *quia me colitis et magni facitis;* Pseud. 578 *ut eas magni facias;* ib. 944 *ut . . . te amo et metuo et magni facio*[2]).

pendere. Asin 460 *non magni pendo: ne duit, si non uolt;* Curc. 262 *neque me magni pendere uisumst;* Stich. 135 *uosne latrones magni penditis;* Pseud. 221 *oleum hau magni pendis.*

multi *facere.* Rud. 381 *uerum ecastor ut multi fecit;* verba coniuncta quasi compositum quoddam multifecit adfert Schaaf.

parvi *esse.* Pers. 690 *nil mihi tam paruist, quin me id pigeat perdere.* Genetivum ex *nil* pendere prave censet Loch (p. 14).

facere. Aul. 112 *ueri simile non est hominem pauperem pauxillum parui facere quin nummum petat;* Mil. 1351 *parui ego alios facio;* Rud. 697 *qui tuom fecerunt fanum parui.*

---

[1]) Minus recte ad verba emendi hoc verbum refert Schaaff (p. 37), nec rectius ibidem ablativum ad hoc verbum refert Pers. 590 ***indica, minumo daturus qui sis, qui duci queat,*** cum et ***minumo*** et ***qui*** ex ***daturus*** potius pendeant (cfr. Epid. 295 ***quanti emi minumo potest***).

[2]) ***magni facio*** ex A et B; ceteri codices ***magnifico,*** quod recepit Ritschl.

pendere. Bacch. 558 *hominis ergo parui pendo gratiam;* Rud. 650 *qui deos tam parui pendet;* Trin. 102 *hostisne an ciuis comedis, parui pendere.*

existimare. Capt. 682 *dum ne ob malefacta peream parui existumo;* nam quod in libris est *estumo* metri causa recte Bothe in *existumo* commutavit, eumque secuti sunt Ritchl (ad Most. 76), Brix, Schoell. Neque tamen defuerunt qui hiatum defenderent (v. append. ad h. l. in editione Schoellii).

pluris *esse.* Asin. 435 *qui sit pluris quam illest;* Merc. 514 *oratio edepol pluris est huius;* Truc. 490 *pluris est oculatus testis unus quam auriti decem.*

facere. Curc. 580 *tuas minas non pluris facio quam* cet.; Trin. 34 *nimioque pluris faciunt gratiam.*

aestimare. Pers. 353 *non ego omnis inimicitias pluris aestumo* [1]).

Ablativus huic verbo adscribitur Capt. 364 *nam ego te huic dedi aestumatum uiginti minis.*

Ad substantivum proxime accedit hic genetivus Men. 680 *ego tibi redimam bis tanto pluris pallam, quom uoles* („einen noch ein mal so theuren Mantel" Brix).

minoris *facere.* Epid. 522 *me minoris facio;* ib. 661 *magnast res: minoris multo facio quam dudum senes;* Most. 1146 *iam minoris omnia alia facio.*

pendere. Most. 215 *id tu mihi ne suadeas, ut illum minoris pendam* [2]); ib. 883 *postremo minoris pendo tergum illorum quam meum.*

plurimi *pendere.* Bacch. 207 *immo unice unum plurumi pendit.*

maximi *esse.* Trin. 813 *tum quod maxumist, adferre, non se petere hinc dicet* [3]).

facere. Cas. prol. 2 *fidem qui facitis maxumi.*

---

1) *existimo,* quod est in BC, metrum vitiat.

2) Versum additicium esse omnes consentiunt (cfr. Lorenzii adn. crit.).

3) *maxumi* ex codd. BCD scripsit Schoell, quod a sermonis ingenio abhorrere Brix (adn. crit.) contendens *maxumum* defendit.

minimi *facere.* Pseud. 269 *eos minumi facit.*

aequi *facere.* Mil. 784 *aequi istuc facio* [1]) (cfr. infra Cist. 468 *aequi consulam).*

nihili *facere.* Bacch. 89 *equidem pol nihili facio, nisi causa tua;* Capt. 616 *nihili facio, tamen adibo;* ib. 986 *quoius nihili sit faciunda gratia;* Cas. 605 *quin nihili facio;* ib. 802 *at ego amo. — at ego hercle nihili facio: tibi amor pro cibost;* Curc. 155 *nihili meam gratiam facere;* ib. 218 *me nihili faciat;* Merc. 440 *at illic pollicitust prior. — nihili facio;* Mil. 168 *nihili facio, quid illis faciat ceteris;* ib. 1409 *dum non nihili factu's;* Pers. 224 *nihili facio scire;* Pseud. 1086 *qui nihili faciat quique infitias non eat;* ib. 1103 *qui nihili facit imperium sui seruos eri;* Trin. 1032 *nunc homines nihili* [2]) *faciunt quod licet.* Passive hoc verbum ponitur Stich. 637 *uiden ridiculos nihili fieri.* In nonnullis exemplis, quae supra attulimus, *nihili facere* obiecto caret, quasi si intransitivum esset.

pendere. Men. 993 *nisi quidem uos uostra crura aut latera nihili penditis;* Most. 245 *uideo te nihili pendere prae Philolache omnis homines;* Poen. 520 *nos te nihili pendimus;* passive ib. 1300 *iam pridem ego me sensi nihili pendier;* Trin. 607 *me nihili pendere.*

esse. Asin. 203 *uetus est: „nihili coctiost", scis cuius;* proverbium mutilatum adfertur, unde obscuritas quaedam oritur (cfr. adn. Ussingii, qui cum codicibus *coactio* scripsit); *nihili* tamen pro genetivo pretii videtur habendum esse. Bacch. 91 *sumne autem nihili, qui nequeam* cet.; ib. 1157 *nihili sum. — istuc iam pridem scio, sed qui nihili's, id memora;* ib. 1207 *hi senes nisi fuissent nihili iam inde ab adulescentia;* Cas. 119 *postilla ut semper improbus nihilique sis* [3]); Cist. 221 . . . *sum nihili nihil* . . .; Men. 972 *qui nihili sunt;* Most. 156 *postquam nihili sum;* Pers. 96 *nihilist* [4])

---

[1]) *aequi* libri Lambini veteres; *atque* BC.

[2]) *nihili* emendavit Scaliger, Bentley, Herrmann; *nihil* libri habent.

[3]) Versum additicium a Guyeto seclusum approbat Schoell.

[4]) *nihili* scripsit Ritschl Scaligerum et Guyetum secutus; *nihil* libri praebent. Idem Pers. 95 *nimio sunt crudae* edidit, Ussing vero Pium

macrum illut epicrocum pellucidum; ib. 120 *nihili parasitus est;* ib. 179 *certo is quidem nihilist;* Pseud. 239 *sine sim nihili,* ib. 1104 *nihilist autem suom qui officium facere inmemor est;* Rud. 920 *nimis homo nihilist;* Truc. 553 *satin si quis amat nequit quin nihili sit.*

Sine verbo *nihili* his locis substantivo subiungitur: Asin. 859 *scito illum ante omnes . . . madidum, nihili, incontimentem* cet.; supplendum fortasse hic est *esse* (cfr. infra Asin. 858 *minumi preti*); Bacch. 904 *ne supplicare, homo nihili, tibi nos censeas;* ib. 1162 *pol uero iste mala et tu nihili;* ib. 1188 *etiam tu homo nihili, quod di dant boni caue culpa tua amissis;* Cas. 559 *nunc ego illum nihili, decrepitum, meum uirum ueniat uelim;* Merc. 125 *nimis nihili tibiecn siem* [1]); Mil. 180 *quoi pereundumst propter nihili bestiam;* ib. 285 *homo sectatu's nihili nequam bestiam;* Stich. 189 *nihili quidem hercle uerbum id;* Trin. 1013 *ecce hominem te, Stasime, nihili;* ib. 1017 *quid homo nihili, non pudet te;* Truc. 333 *quem iam reuocabas, inprobe nihilique homo;* ib. 599 *noui hominem nihili: illicinest;* ib. 695 *heu edepol hominem nihili;* ib. 942 *caue ui consulam istic, nihili homo* [2]).

Denique *nihili* ita positum nonnullis locis invenitur, ut quasi pro substantivi case vocativo adhiberi videatur. Asin. 472 *inpure, nihili, non uides irasci;* Cas. 239 *eho tu, nihili, cana culex,* ubi Schaaff *nihili* cum *tu* conexuit quasi pro adiectivo attributo usurpatum (cfr. supra Bacch. 1162 *tu nihili).* Cas. 245 *unde is, nihili.* — Postremo *nihili* uno loco sic adfertur: Truc. 696 *quian „nihili" dico.*

---

secutus ***nihili*** pro librorum ***nihil*** scripsit. Poen. 281 ***nihil id quidemst***; ***nihil*** ex libris Goetz et Loewe ediderunt, alii vero ***nihili*** scripserunt. Truc. 769 ***nihilist*** coniecit Spengel, Schoell ex libris scripsit: ***de nihilo nihil est irasci.*** Ibidem 851 ille ***nihilist*** scribi voluit pro ***ille est,*** quod habent codices.

[1]) Sic ex Camerarii correctura scripsit Goetz pro eo, quod est in libris: ***nihil tibi censiem.*** Genetivum et inter genetivos qualitatis et inter genetivos pretii profert Loch.

[2]) Truc. 764 ***nilne me pudet*** edidit Schoell; Camerarius vero aliique pro librorum ***nihil me*** scripserunt ***nihili me.***

Ablativus huius vocabuli ex praepositione *pro* pendens verbo *esse* subiungitur Pers. 637 *omne ego pro nihilo esse duco, quod fuit.*

flocci ex verbis *facere* et *existumare* (Most. 76) pendet et in enuntiato negativo maxime usurpatur. Cas. 332 *tu istos minutos deos caue flocci feceris;* in verbo cavendi vis negativa inest. Curc. 713 *non ego te flocci facio;* Men. 423 *neque ego illum maneo neque flocci facio;* ib. 994 *caue quisquam quod illic minitetur uostrum flocci fecerit;* Most. 808 *caue tu ullam flocci faxis mulierem;* Rud. prol. 47 *flocci non fecit fidem;* ib. 782 *ego quae tu loquere flocci non facio;* ib. 795 *minacias ego flocci non faciam tuas;* Stich. 285 *caue quemquam flocci feceris;* Trin. 211 *falson' an uero laudent, culpent quem uelint, non flocci faciunt;* ib. 918 *nil agis: neque adeo edepol flocci facio, quando egomet memini mihi;* Truc. 606 *non hercle ego te flocci facio;* ib. 769 *quae te non flocci facit.* Affirmative, ut dicimus, usurpatur haec coniunctio verborum Epid. 348 *dum tibi ego placeam atque obsequar, meum tergum flocci facio;* Trin. 992 *di me perdant, si te flocci facio an periisses prius;* hoc loco quamquam nulla ponitur negatio, ipsa sententia tamen quodam modo negativa est.

existumare. Most. 76 *neque quod dixi flocci existumat* [1]).

nauci quod cum negatione omnibus locis Plautinis usurpatur aut ex verbo *esse* pendet aut omisso verbo ad substantivum refertur. Most. 1041 *qui homo timidus erit in rebus dubiis, nauci non erit.* Fragm. Parasit. pig. 2 *postremo ambo sumus non nauci* adfert Schaaff (p. 36).—Cum substantivo coniunctum est nauci Truc. 611 *amas hominem non nauci;* Bacch. 1102 *hoc seruom meum non nauci facere esse ausum;* hic alii (inter eos Schaaff p. 36) genetivum cum verbo *facere* coniunxerunt,

---

[1]) Ablativus quoque huius vocis in fragmento quodam Plautino ex verbo habendi pendens adferri solet (Holtze I p. 121, Draeger I p. 567, Schaaff p. 37 not.): *illic habebit flocco iam homo lumbos meos;* sed ex cod. A Studemund hunc versum sic constituit: *fusti defloccabit iam illic homo lumbos meos* (cfr. Loch p. 33 sq.)

non recte id quidem, nam ex ipsa huius loci sententia ad substantivum *seruom* referendus esse videtur: „contemtissimum" Pareus interpretatus est. Neque alibi usquam nauci facere invenit Loch (cfr. Loch pp. 8 et 33). Denique quasi vocabulum indeclinabile adfertur Most. 1042 *atque equidem, quid id esse dicam uerbum nauci, nescio;* unde huius vocis propriam significationem iam Plauti aetate obscuratam fuisse Lorenz concludit.

* **malli** *pendere.* Truc. 539 *et iam malli pendit purpuram;* ita Schoell scriptura codicum BCD *mali* leniter correcta scripsit („malli, i. e. flocci: cfr. Cato r. r. 157"). *me uilipendit* scripsit Camerarius, *male perdit me* Bothe; *me nihili pendit* recte edidisse Spengelium contendit Schaaff (p. 36).

terunci *facere* cum negatione coniunctum Capt. 477 *neque ridiculos iam terunci faciunt.*

trioboli substantivo apponitur Poen. 381 *non ego homo trioboli sum, nisi* cet.; ubi minus recte Loch censet genetivum ad verbum referendum esse (p. 33). Poen. 463 *condigne haruspex, non homo trioboli, omnibus in extis aibat portendi mihi malum.*

His subiungendum esse videtur

boni *consulere.* Truc. 429 *boni* [1]) *consulas.* — Huc accedit ex coniectura Ussingii

* **aequi** *consulere.* Cist. 468 *ut illud, quod tuam in rem bene conducat, aequi consulam;* versui enim in codicibus iusto breviori Ussing addidit *aequi,* alii ab initio *meum* suppleverunt.

Sequuntur ii loci, quibus genetivus **preti** cum adiectivo coniunctus ad similitudinem genetivi qualitatis maxime accedit.

magni preti semper cum negatione coniunctum ad substantivum proxime refertur. Cas. 98 *quid in urbe reptas, uilice haud magni preti;* Curc. 167 *immo homo haud magni*

---

[1]) *bona* habent codd.

preti; Mil. 145 *nam meus conseruos est homo haud magni preti;* Stich. 235 *ecastor auctionem hanc haud magni preti.*

parui preti ex verbo *esse* pendet Aul. 790 *nullust tam parui preti;* Trin. 257[b] *quom cum animo meo reputo ... preti quam sit parui.*

minumi preti tum ex verbo pendet, tum ad substantivum relatum ponitur. Epid. 502 *fateor me omnium hominum Athenis Atticis esse minumi preti;* Mil. 558 *ratun istic me hominem esse omnium minumi pretei.* Verbum omissum est his locis: Asin. 858 *scito illum ante omnes minumi mortalem preti;* esse hoc loco supplendum esse censet Schaaff p. 36). Bacch. 444 *eho seuex minumi preti;* Cas. 594 *quid ais, uir minumi pretei;* Epid. 494 *me emunxisti mucidum minumi preti;* Men. 489 *flagitium hominis subdole ac minumi preti;* Trin 925 *inter labra latuit uir minumi preti*

pluris preti. Bacch. 630 *mortuos pluris pretist quam ego sum.*

quantiuis preti. Pers. 625 *nomen atque omen quantiuis iamst preti;* Epid. 410 *habes seruom graphicum et quantivis preti.*

His apte subiungitur exemplum, in quo genetivus

nulli rei ex verbo *esse* pendet: Stich. 718 *nulli rei erimus postea;* ut Loch (p. 8), ita ego *nulli rei* pro genetivo habendum esse censeo[1]); dativum Holtze I p. 307 et Draeger I § 194 statuerunt. Pretii quam qualitatis genetivum appellari malim.

Alterum genus genetivi pretii id esse diximus, quo pretii significatio generalis apud verba emendi et vendendi exprimitur. His verbis non raro attribuitur ablativus pretii, qui semper ponitur, si certum indicatur pretium. Ea verba, quibus genetivus adscribitur, haec sunt:

emere cum *quanti* genetivo construitur: Epid. 51 *quanti*

---

[1]) Cfr. Luchs in Studemundi Stud. I p. 328 not.

eam emit; ib. 295 *illaec quanti emi minumo potest;* hoc loco pretii significatio duabus expressa est vocibus, sed in diversis casibus positis (cfr. infra Pers. 590, ubi duo ablativi ex *dare* pendent). Merc. 221 *quanti emeris;* ib. 514 *quanti haec emptast;* Most. 822 *quanti hosce emeras;* Poen. 897 *illas emit in Anactorio.* — *quanti?* Pseud. 1170 *quanti te emit;* Rud. 1405 *dic mihi, quanti illam emisti tuam alteram mulierculam.* Uno loco huic verbo subiungitur

tanti. Merc. 490 *tanti, quanti poscit, uin tanti illam emi.*

Uno loco eoque prorsus singulari ex hoc verbo pendet

vilei. Epid. 51 *quanti eam emit?* — *Vilei;* quam formam, quamquam cum *quanti* congruere videtur, credo tamen pro ablativo habendam esse (cfr. Ebrard l. l. § 55 p. 636).

Ablativus huic verbo saepius adscribitur horum vocabulorum:

argento. Asin. 198 *haec argento non emo;* ib. 673 *tibi eme hunc isto argento;* Capt. 205 *quos argento emerit;* Men. 1101 *quasi me emeris argento, liber seruibo;* Merc. 973 *adulescenti amanti amicam eripere emptam argento suo.*

auro, purpura. Most. 286 *mores sibi emit auro et purpura.*

pretio cum adiectivo coniunctum. Most. 821 *pol mihi eo pretio empti fuerant olim.* Ablativus pluralis huius vocis ponitur Poen. 842 *pretiis emptos maxumis apud nos expeculiatos seruos fieri suis eris.*

minis. Curc. 344 *emi uirginem triginta minis;* Epid. 52 *quot minis* (sc. eam emit). — *totis quadraginta minis;* ib. 467 *quinquaginta mihi illa emptast minis;* Men. 205 *quattuor minis ego istanc emi anno uxori meae;* Poen. 897 *duodeuiginti minis* (sc. illas emit). — *Ad* cum accusativo huius vocis posuit Plautus Epid. 296 *ad quadraginta fortasse eam posse emi minumo minas.*

talento. Capt 274 *Thalem talento non emam Milesium.*

peculio. Pseud. 1189 *meo peculio empta.*

nimio. Most. 905 *num nimis emptae tibi uidentur.*

minumo solum non ponitur, sed cum alia quadam pretii significatione coniunctum. Epid. 295 *illaec quanti emi minumo potest;* ib. 296 *ad quadraginta fortasse eam posse emi minumo minas.* (De altero ablativo adiuncto v. infra Pers. 950 *dare*).

nuce. Mil. 316 *non ego tuam empsim uitam uitiosa nuce.*

titiuillicio. Cas. 347 *non pol ego istuc uerbum empsim titiuillicio* [1]).

---

[1]) De significatione huius vocis cfr. Ussingii adn. ad h. l.

uictoria. Pseud. 1170 *quanti te emit? — suarum in pugna uirium uictoria.*

qui. Aul. 377 *quoniam mihi nil est qui emam;* Most. 1160 *sumptumque omnem, qui amica emptast;* Poen. 1381 *periere, opinor, duodeuiginti minae, qui olim hasce emi*[1]*);* de *qui* cfr. infra *liberare.* — Cum ablativo Plautus conexuit.

redimere. Asin. 673 *redime istoc benficio te ab hoc et tibi eme hunc isto argento.*

eximere. Merc. 487 *atque eximam mulierem pretio.* Hoc loco ablativus *pretio* caret attributo.

uendere *minoris.* Merc. 425 *dum ne minoris uendas, quam ego emo.*

Saepius ablativus pretii huic verbo subiungitur.

argento. Poen. prol. 89 *uendit eas omnis . . . praesenti ibi argento homini.*

auro. Mil. 1076 *contra auro alii hanc uendere potuit operam.*

pretio. Pers. 579 *siquidem hanc uendidero pretio suo.*

minis. Capt. 974 *Theodoromedi in Alide Polyplusio sex minis* (sc. eum uendidi); ib. 979 *gnatum meum ait se uendidisse sex minis;* ib. 1012 *uendidit patri meo te sex minis;* Merc. 429 *uiginti minis opinor posse me illam uendere;* Pseud. 52 *me peregre militi Macedonio minis uiginti uendidit;* ib. 344 sq. *meam tu amicam uendidisti? — ualde: uiginti minis.* — (345) *uigenti minis? — utrumuis, uel quater quinis minis.*

Cum ablativo constructum invenitur *venditare:*

auro. Bacch. 20 *suam qui auro uitam uenditat.*

conducere. Pseud. 1184 *chlamydem hanc commemora, quanti conductast.*

Ablativus ponitur Cas. 504 *tribus non conduci possum libertatibus;* Pseud. 1192 *quantillo argento*[2]) *te conduxit Pseudolus.*

destinare. Most. 646 *eas quanti destinat.*

Sequenti versu ablativo respondetur: Most. 647 *talentis magnis totidem, quot ego et tu sumus;* ib. 974 *ain minis triginta amicam destinasse Philolachem;* Rud. prol. 45 *minis triginta sibi puellam destinat.*

liberare. Most. 973 *quanti* (sc. tibicinam liberauit).

Ablativo respondetur eodem versu: Most. 973 *triginta talentis. — μὰ τὸν Ἀπόλλω, sed minis;* ib .204 *solam ille me soli sibi suo aere liberauit;* Pseud. 487 *quas* (sc. minas) *meo gnato*

---

[1]) Versus 1372—1422 suppositi habentur.

[2]) De hoc ablativo vide supra genet. quant. *quantillum.*

des, qui amicam liberet (de *qui* v. supra *emere* et infra *dare, ducere, expendere, licere).*

perdocere *quanti.* Pseud.' 875 *quanti istuc unum me coquinare perdoces.*

Ablativo responsum datur ib. (Pseud. 877) *si credis, nummo, si non, ne mina quidem.*

poscere *quanti.* Merc. 490 *tanti, quanti poscit, uin tanti illam emi.*

Ablativus huic verbo apponitur Stich. 222 *quis cena poscit? ecqui poscit prandio.*

subigere *minoris.* Pseud. 809 *me nemo potest minoris nummo, ut surgam, subigere.*

refert verbum impersonale cum genetivo pretii construitur, si quanti quid alicuius referat, indicatur.

quanti. Pseud. 1085 *quanti refert ei nec recte dicere;* Rud. 966 *quam quanti illud refert mea.*

magni. Mil. 882 *meretricem commoneri quam sane magni referat, nil clamst.*

pluris. Bacch. 518 *tum, quom blandiri nihilo pluris referet*[1]; Pseud. 102 *non pluris refert quam* cet.; Rud. 966 *nihilo pol pluris tua hoc quam quanti illud refert mea.*

Ceterum plurima inveniuntur apud Plautum verba et adiectiva, quae ablativum, non genetivum pretii adsciscunt:

auferre. Asin. 153 *unum quodque istorum uerbum nummis Philippis aureis non potest auferre hinc a me.*

cedere. Curc. 201 *auro contra cedo modestum amatorem;* Mil. 658 *cedo tris mi homines aurichalco contra.*

dare. Aul. 384 *quam minumo sumpto filiam ut nuptum darem;* Merc. 440 *non centum* (sc. minis) *datur;* Pers. 661 *qui datur, tanti indica;* ib. 665 *sexaginta haec dabitur argenti minis;* ib. 590 *indica, minumo daturus qui sis;* hic pretii significatio duabus vocibus *minumo* et *qui* expressa est, id quod iam supra vidimus fieri (pag. 93).

ducere. Pers. 590 *indica, minumo daturus qui sis, qui duci queat.*

eripere. Merc. 341 *amicam mihi paraui . . . pretio eripui.*

---

[1]) Sic proxime ad lectionem codicis A Brachmann accedens scripsit, quem secutus est Goetz. Alii alia coniecerunt (cfr. Schaaff p. 38 et Goetzii adn. ad h. l.)

expendere. Merc. 487 *qui potius quam auro expendas;* ib. 488 *Achillem orabo, aurum ut mihi det, Hector qui expensus fuit.*

habere. Pers. 662 *ut emas habe centum minis* (sc. eam).

licere. Men. 549 *quique liceant, ueneant;* ib. 1159 *omnia uenibunt quiqui licebunt.*

mercari. Asin. 199 *cetera quae solemus uti Graeca mercamur fide;* Capt. 258 *quos tam grandi sim mercatus praesenti pecunia;* Pseud. arg. II, 4 *uiginti mulierem minis mercatus abiit.*

praehibere. Pers. 429 *eodem mihi pretio sal praehibetur quo tibi.*

praestinare. Epid. 277 *ut enim praestines argento;* Pseud. 169 *ut piscium quidquid sit pretio praestinem.*

stare. Stich 223 *Herculeo stabunt prandio, cena tibi.*

constare. Truc. 598 *iam mi auro contra constat filius.*

uenire. Men. 289 *quibus hic pretiis porci ueneunt.* — (290) *nummeis;* ib. 1159 *omnia uenibunt quiqui licebunt, praesenti pecunia.*

Ex praepositione *pro* pendet ablativus, qui verbo *facere* subiungitur,

Pseud. 849 *pro pretio facio ut opera appareat mea.*

Adiectiva inveniuntur cum ablativo pretii coniuncta duo:

carus. Epid. 411 *non carust auro contra;* Pers. 668 *non edepol minis trecentis carast;* „si trecentis minis emisses, non cara esset“ (Ussing). Pseud. 688 *aurichalco contra non carum fuit meum mendacium.*

vilis. Most. 297 *istoc uerbum uilest uiginti minis.*

Genetivus respectus.

Genetivum relativum apud priscos scriptores latinos recte mea quidem sententia statuit Loch. Namque apud Plautum non pauca inveniuntur exempla, in quibus genetivus ex verbis adiectivisque pendens ita usurpatur, ut qua in re de re quadam vel persona quid dicatur, significet; cui usui genetivi respondet ablativus qui vocatur respectus. Frequentissimus autem horum genetivorum est genetivus *animi*, quem multi pro locativo aut ablativo habent [1]). Atque Delbrueck [2]) eam potissimum ob rem locativum statuendum esse censuit, quod eodem sensu pro genetivo pluralis *animorum*, qui nusquam invenitur, semper ablativus *animis* ponitur (cfr. Corinthi et Syracusis). Quod si verum esset locativum ab initio fuisse *animi*, qui huius modi sunt veri genetivi, *mentis, sermonis,* alii ex analogia exstitisse putandi erant, postquam obscurata locativa natura *animi* pro vero genetivo haberi coeptum esset. Sed nullis certis testimoniis hoc evinci potest; nam quod pro *animorum* ponitur *animis,* id nullam probandi vim habet, cum is haud scio an potius ablativus respectus sit habendus, qui ex separativa notione sit profectus, non ex locativo-ablativo. Ex separativa enim significatione hunc usum facile posse repeti docent exempla *ab animo aeger,* similia. Neque verisimilius id est, quod contendit Draeger, hunc usum ex adiectivis affectum exprimentibus ad verba notione similia translatum esse (ut *anxius, angi,* cet.) E contrario si hos gene-

[1]) Draeger l. c. § 206, 5.

[2]) Abl.-Loc.-Instr. im Altindischen, Lateinischen, Griechischen und Deutschen (Berlin 1867) p. 31.

tivos ex separativa notione ortos esse concedimus, nihil habet res difficultatis.

Ad hos genetivos, quos genetivos respectus appellari voluimus, eos quoque adnumerandos putavi, qui ex verbis affectuum et iudicandi verbis pendent; quorum illi genetivi pathetici, hi criminis genetivi vulgo nominantur.

animi *pendere.* Epid. 544 *animi pendeo;* Merc. 127 *ego animi pendeo;* ib. 166 *nimis diu animi pendeo.*

angere. Epid. 326 *absurde facis qui angas te animi.*

excruciare. Epid. 390 *coeperam animi med excruciare;* Mil. 1068 *quid illam miseram animi excrucias;* ib. 1280 *ne illam animi excrucies;* Rud. 388 *hoc sese excruciat animi, quia* cet.; ib. 399 *ne sic se excruciet animi.* Passive usurpatur hoc verbum Mil. 720 *continuo excruciarer animi.*

discruciari. Aul. 105 *discrucior animi.*

lassus. Cist. 208 *ita me amor lassum animi ludificat.*

miser. Cist. 505 *itaque petulantia mea me animi miseram habet* (cfr. praeterea infra *sanus).*

consili ab *incertus* pendet Rud. 213 *hac an illac eam incerta sum consili.*

diuini, humani *credere.* Amph. 672 *numquam edepol tu mihi diuini quicquam creduis post hunc diem.* Genetivum hoc loco et Asin. 854 (v. infra *adcredere)* ex *quicquam* pendere putat Loch (p. 18); mihi vero dubium non est, quin erraverit: *quicquam* abundat vel additum est, quo gravior fieret negatio, qui solitus mos est Plauti (cfr. supra *nihil quicquam).* Genetivum ad verbum referendum esse cum ex eis exemplis apparet, in quibus genetivus *rerum* huic verbo subiungitur, tum satis probatur hoc exemplo: Bacch. 504 *nam mihi diuini numquam quisquam creduat, ni ego illam* cet., quod omisit Loch. (De significatione huius genetivi: „ne per deos quidem iuranti mihi credas" cfr. Ussingii adn. ad Truc. 304).

adcredere. Asin. 854 *neque diuini neque mi humani posthac quicquam adcreduas* (de *quicquam* v. supra *credere).*

mentis *desipere.* Epid. 138 *desipiebam mentis.*

sanus. Trin. 454 *satin tu sanu's mentis aut animi tui.*

sermonis *falli.* Epid. 239 *nec satis exaudibam nec sermonis fallebar tamen quae loquerentur;* ubi minus verisimile est, partitivum esse genetivum ex *quae* pendentem, quam genetivum respectus cum *fallebar* coniungendum.

rerum ex *credere* pendet Asin. 459 *suscenseat, quoii omnium rerum ipsus semper credit;* Truc. 307 *numquam edepol mihi quisquam homo mortalis post hac duarum rerum creduit, ni* cet. Quamquam *duarum rerum,* quod in omnibus codicibus invenitur, multis displicuit. Itaque Schoell *duarum nucerum* edidit; quod quia apud Plautum alibi nusquam invenias, magis mihi arridet scriptura Ussingii *diuinarum rerum,* quod et propius ad librorum lectionem accedit et cum Plautino loquendi genere bene concinit (cfr. *diuini, humani credere; diuinarum* autem duabus primis syllabis in unam contractis d i n a r u m pronuntiandum esse monet Ussing (cfr. eius Proleg. p. 214 „ditiae" pro „divitiae", cet.); idque scripsit Leo.

indigere. Cist. 29 *nostra copia nihil uolunt nos potesse suique omnium rerum nos indigere;* est enim *omnium rerum* idem fere atque „in omnibus rebus" (de genet. *sui* v. genet. inopiae *indigere).*

falsilocus. Capt. 264 *nam sunt quae ex te sola scitari uolo, quarum rerum te falsilocum mihi esse nolo.*

liber. Amph. prol. 105 *quam liber harum rerum et multarum siet,* quod habita ratione primae notionis, qua cum verbo *lubet* cohaeret hoc adiectivum, supra inter exempla genetivi inopiae posui, nescio an huc potius sit referendum *(harum rerum* = „in his rebus"; cfr. Brix ad Capt. 264).

Genetivo simillimus est ablativus, qui est Cist. 58 *doleo ab animo, doleo ab oculis, doleo ab aegritudine;* tertius vero ablativus causae est. Simili modo iunguntur ablativi Capt. 928 *satis iam dolui ex animo et cura;* Truc. 833 *tamen ab ingenio inprobust;* Epid. 129 *ab animo aeger fui.* Eodem pertinere videtur Epid. 526 *quod miserescat miser ex animo,* sive ad *miser,* sive ad *miserescat* refertur ablativus.

Genetivus patheticus ad verba affectuum quae vocantur apponitur. In hoc casu ea substantiva ponuntur, quae aut res vel facta, ob quae pudore aut misericordia afficitur aliquis, indicant aut personam significant, propter quam illo sensu quis affectus est. Ipsa verba autem et personaliter et impersonaliter usurpantur. Haec sunt:

miserere personaliter usurpatum genetivum regit: Capt. 764 *neminis miserere certumst, quia mei miseret neminem;* Truc. 223 *piaculumst miserere nos hominum rei male gerentum;* Pseud. 378 *qui me tui miserere postulas.* His omnibus locis libri Plautini *misereri* habent, quod a Spengelio (Truc. 223) in *miserere* mutatum est, idque omnes fere approbaverumt (cfr. Loch p. 30, Schaaff p. 42).

miseret impersonaliter usurpatum genetivum adscivit Pseud. 1324 *neque te mei tergi misereret, hoc sei non hodie effecissem;* Most. 985 *me eius patris misere miseret;* Rud. 277 *miseriarumque te ambarum uti misereat;* Trin. 431 *miseret te aliorum;* Capt. 765 *quia mei miseret neminem;* Trin. 431 *tui nec miseret nec pudet;* Trin. 343 *ne tis* (= tui) *alios misereat;* Curc. 518 *si huius miseret;* Cist. 602 *at me huius miseret;* Bacch. 1044 *miseret me illius;* Stich. 329 *nam med equidem harum miserebat.* — Pseud. 308 *nilne te miseret?* ex A scripsit Goetz; sed *te mei miseret* habent FZ, quem genetivum retinebat Ritschl.

Denique passive et impersonaliter ponitur hoc verbum Trin. 430 *me eiius miseritumst.*

miserescit. Trin. 343 *ut ita te aliorum miserescat, ne tis alios misereat.*

Accusativus huic verbo subiungitur Epid. 526 *si quid hominist miseriarum, quod miserescat miser ex animo.*

commiserescit. Rud. 1090 *ut ted huius conmiserescat mulieris.*

paenitet. Stich. 551 *si duarum paenitebit, addentur duae;* Truc. 431 *ut quoius me non paeniteat mittatur mihi;* Stich. 711 *si horum paenitet.*

Personalis est usus huius verbi Stich. 51 *et me quidem haec condicio nunc non paenitet;* Scaliger „mirum loquendi genus“ inquit, sed exemplis similibus satis probatum est. — Mil. 740 *nil me paenitet iam quanto sumptui fuerim tibi; nil* quod pro nominativo habere Loch videtur, sententia ipsa accusativum esse docet.

piget. Trin. 127 *factum, neque facti piget.*

Cum nominativo pronominis neutrius generis iungitur Pseud. 281 *id quod pudet facilius fertur quam illud quod piget;* Stich. 122 *ne faciat quod pigeat postridie.*

pudet. Bacch. 1016 *persuasumst facere quoius me nunc facti pudet* [1]); Truc. 280 *ut nancta's hominem, quem pudeat probri* [2]); Asin. 933 *tui me, uxor, pudet;* Bacch. 379 *neque mei neque te tui intus puditumst factis, quae facis* [3]) „*factis* i. e. factorum, propter facta“ (Ussing). Trin. 912 *deum me hercle atque hominum pudet;* duobus eis locis, quos proxime attuli, genetivis eae personae nominantur, coram quibus pudor excitatur. Trin. 431 *tui nec miseret nec pudet* [4]).

Personalis usus est huius verbi Cas. 877 *ita nunc pudeo;* Epid. 166 *quom usust ut pudeant, ibi eos deserit pudor.*

taedet. Most. 316 *ita me male conuiui sermonisque taesumst;* Cas. 142 *abeo intro: taedet tui sermonis;* accusativus personae cum facile suppleretur omissus est.

distaedet. Amph. 503 *edepol haud quod tui me neque domi distaedeat.*

fastidire. Aul. 245 *abiit...: fastidit mei;* Stich. 334 *mein fastidis propudiose; mein* recte restitutum est a Scioppio pro *mihin* (*mihi in*) vel *men,* quod est in libris.

---

[1]) Truc. 764 pro librorum *fio inpudens* scripsit Spengel *facti pudet, fu inpudens* Schoell.

[2]) Hunc et sequentes versus usque ad v. 290 quasi ex dittographia ortos spurios habet Schoell Buechelerum secutus.

[3]) Versum suspectum habet Ussing.

[4]) De pronominibus neutrius generis adiunctis cfr. Loch p. 29.

Genetivus criminis qui vocatur apud verba iudicandi sive forensia de crimine et poena ponitur et apud Plautum satis usitatus est. Poenae vero notio genetivo exprimitur, qui cum genetivo pretii similitudinem quandam habet, si quanta quis pecunia multetur non dicitur; si certa dicitur pecunia, ablativus ponitur [1]).

Ablativus autem quamquam apud scriptores posterioris aetatis frequentissimus est, his tamen verbis a Plauto non adiungitur, excepto uno verbo *multandi,* quod tribus locis Plautinis cum ablativo coniunctum inveni, neque eidem verbo usquam apud Plautum subiungitur genetivus.

Criminis notio genetivo exprimitur, qui ex his verbis pendet:

accusare. Amph. 869 *quam uir insontem probri Amphitruo accusat.*

Pronominum accusativus neutrius generis huic verbo apponitur Asin. 173 *quid me accusas;* Trin. 96 *si id non me accusas.* Ceterum animadvertendus est hic quoque usus: Epid. 549 *haud accuso fidem;* Merc. 422 *tuam autem accusari fidem;* ib. 523 *operam accusari non sinam meam.*

incusare. Truc. 159 *quia qui alterum incusat probri sumpse enitere oportet.*

arguere. Amph. 882 *ita me probri, stupri, dedecoris a uiro argutam meo;* ib. 898 *me miseram arguit stupri, dedecoris;* Pseud. 746 *ecquid argutust? — malorum facinorum saepissume;* qui interrogavit (Pseudolus) *argutus* pro adiectivo intellegi voluit (versutus, astutus, sollers), sed ab eo, quem alloquebatur, (Charino) pro participio („convictus“) acceptum est (cfr. Lorenzii adn. ad h. l.).

Cum accusativo neutrius pronominis coniungitur Men. 940 *egomet haec ted arguo.* Cfr. Amph. 885 *quae neque sunt facta neque ego in me admisi arguit.*

captare. Amph. 821 *si me inpudicitiai captas.*

insimulare. Amph. 477 *insimulabit eam probri;* ib. 887 *neque me perpetiar probri falso insimulatam;* Mil. 364 *qui*

---

[1]) Cfr. Kuehner II § 86, 7 adn. 6 (p. 340 sq.).

probri me maxumi innocentem falso insimulauit; ib. 396 *neque me quidem patiar probri falso inpune insimulatam;* ib. 509 *quod concubinam erilem insimulare ausus es probri pudicam meque summi flagiti;* Amph. fragm. XII *non causam dico quin uero insimules probri* [1]).

Accusativo crimen exprimitur Amph. 859 *qui illi conlubitum siet meo uiro sic me insimulare falso facinus tam malum.* Acc. neutr. pronom. ponitur Amph. 820 *istuc facinus, quod tu insimulas;* Aul. 288 *istuc, Anthrax, aliouorsum dixeram, non istuc quod tu insimulas;* sed *quod* in *quo* correxit Bothe, idque recepit Goetz. Pers. 129 *non ad istuc, quod tu insimulas.*

prendere. Bacch. 696 *quem mendaci prendit manufesto modo* (de *manufesto* v. infra *tenere).*

deprehendere. Bacch. 950 *doli ego deprensus sum; doli* pro codicum *dolis* restituit Acidalius.

tenere. Truc. 132 *manufesto mendaci, mala, te teneo;* Amph. fragm. IX *manufestum hunc obtorto collo teneo furti* [2]) *flagiti; manusfestum flagiti* coniungit Loch et Ussing, i. e. flagitii convictum, in flagitio deprensum; quin etiam in priore exemplo Truc. 132 et Bacch. 696 (v. *prehendere),* ubi cod. A *manufesto* praebet, hic ex ceteris codicibus *manifestam, manifestum* scribendum esse olim censuerat, quod postea parum considerate se fecisse confessus est (v. adn. eius ad h. l.). Atque Lorenz, cui consentit Loch (p. 23 not.), omnibus locis Plautinis *manufesto* scribendum esse docet, cum *tenere* et *prehendere* cum genetivo coniuncto addantur. Neque alibi apud Plautum *manufestus* adiectivum cum genetivo coniungitur; sine genetivo dicitur Men. 594 *nec magis manufestum ego hominem umquam ullum teneri uidi.*

Huc pertinent ii quoque genetivi, qui pendent ex

adstringere. Rud. 1260 *et ipsum sese et illum furti adstringeret;* Poen. 737 *homo furti sese adstringet.*

inducere. Poen. 1337 *quia iniuriarum multo induci satius est;* sic Goetz et Loewe ex plerisque codicibus edide-

---

[1]) Mil. 392 *id me insimulatam perperam falsum esse somniaui,* Ritschl coniecerat *perperam probri.*

[2]) *furem* pro *furti* legerat Nonius.

runt, sed Lipsium secutus Ussing *multam dici* scripsit, idque in A exstare contendit. Illud paulo obscurius est. — Unum invenitur adiectivum

reus, quod uno loco genetivum adscivit: Cist. 162 *quoniam reum eius facti nescit qui siet.* Praeter hoc exemplum a Schaaffio adfertur (p. 31) fragm. Querol. v. 13 *furti, post et sepulcri violati est reus*[1]).

Poenae notio genetivo exprimitur his locis:

condemnare. Most 1099 *tanto apud iudicem hunc argenti condemnabo facilius.*

manum inicere. Pers. 71 *tantidem ille illi rursus iniciat manum;* Truc. 762 *postid ego tibi iniciam manum quadrupli;* sed hic locus in libris sanus non est: *tibi* pro *te* vel *in te* scripsit Schoell et ex coniectura Camerarii *quadrupli* pro *quadrupiis* (BD) vel *quadrupus* (CLZ) *(quadrupuli* Fleckeisen).

capitis perdere. Asin. 132 *ibo ad tres uiros... capitis te perdam;* Bacch. 490 *egone ut illam mulierem capitis non perdam;* Mil. 371 *quem pol ego capitis perdam.*

capitis comitia habere. Pseud. 1232 *Pseudolus mihi centuriata habuit capitis comitia* (de hoc dicendi genere cfr. Ussingii comment.).

Cum hoc exemplo conferendum est Aul. 700 *ibo hinc intro ubi de capite meo sunt comitia.*

capitis res est. Trin. 962 *quoi, si capitis res sit, nummum numquam credam plumbeum.*

Ablativus his locis subiungitur

multandi verbo: Pseud. 1228 *at me uiginti modicis multauit minis;* Truc. 844 *uerum hoc ego te multabo bolo;* Trin. 708 *multabo bolo,* qui locus spurius habetur.

---

[1]) Fragm. Cistellariae *qui si adeam atque appellem mali damnique,* quod Holtze I p. 338 attulit, a Studemundo sic restitutum est: *quid si adeam atque appellem? Mali damnique inlecebra, salve* (v. Loch p. 29).

Genetivus obiectivus.

Genetivo obiectivo, quoniam quasi obiecti loco ad nomen regens refertur, non eos solos adnumeravi genetivos, qui vulgo obiectivi nominantur et ex substantivis verbalibus pendent, verum etiam eos, qui cum verbis adiectivisque coniuncti obiecti muneribus funguntur. Atque primos eos genetivos, qui ex verbis monendi et obliviscendi similibusque adiectivis pendent, tractabimus, deinde cetera adiectiva, quae obiectivum genetivum adsumunt, proferam, tum de genetivis, qui proprio vocabulo obiectivi vocati sunt, disputandum erit.

Genetivus memoriae et oblivionis qui vocatur ex verbis monendi et obliviscendi adiectivisque simili notione instructis pendet et apud Plautum his locis invenitur:

memini. Bacch. 206 *ecquidnam meminit Mnesilochi;* Pers. 658 *satin' ut meminit libertatis;* ib. 494 *mei memineris, dum uitam uiuas;* Capt. 800 *faciam ut huius die* [1] *locique meique semper meminerit.*

Ablativus ex *de* praepositione pendens uno loco huic verbo adscribitur variato paululum sententiae colore: Asin. 939 *de palla memento, amabo.* — Multo saepius accusativus sive substantivorum sive pronominum neutrius generis huic verbo adscriptus invenitur; qua de re accuratius disputavit Loch (p. 28), quam Schaaff (p. 41 not. 2).

---

[1]) *die* Bothe, *diei* libri; versum ex Terentio (Eun. 801, Loch p. 28) desumptum seclusit Schoell duce Spengelio.

commemini semel cum genetivo construitur Trin. 1027 *conmeminit domi*[1]).

commonere item semel cum genetivo coniungitur Rud. 743 *quom hanc uideo mearum me absens miseriarum conmones.* — Verbum simplex *monere* apud Plautum genetivum non regit, accusativum vero haud ita raro (cfr. Schaaff p. 40 not. 2).

in mentem uenire. Rud. 686 *quom uenit*[2]) *in mentem mihi mortis.*

Ablativus ex praepositione *de* pendet Most 271 *ut lepide atque astute in mentem uenit de speculo malae.* — Nominativus saepius ponitur; cfr. Schaaff p. 41 not. 3, Loch p. 28.

mentionem facere. Trin. 976 *auri feci mentionem;* ib. 1069 *qui mentionem homo hominis fecit optumi.* Passive dicitur Rud. 1290 *perii quom mentionem fieri audio usquam uiduli;* Bacch. 252 *istius hominis ubi fit quomque mentio;* Truc. 196 *horresco misera, mentio quotiens fit partionis.*

se in memoriam inducere. Pers. 643 *ne suarum se miseriarum in memoriam inducat.* Hos genetivos ex substantivo *(memoria, mentio)* proxime pendere verisimile est.

Praepositio *de* cum ablativo ponitur Aul. 204 *ubi mentionem ego fecero de filia;* Pers. 109 *qua de re ego tecum mentionem feceram;* Mil. 993 *subauscultemus, ecquid de me fiat mentio.*

memor. Merc. 996 *memorem dices benefici;* Pseud. 481 *fac sis promissi memor;* Stich. 578 *capti consili memorem mones;* genetivus ex adiectivo, non ex verbo pendet.

* **obliuisci** uno tantum loco, et ibi ex coniectura Guielmi, cum genetivo construitur: Trin. 1018 *tribusne te poteriis memoriae esse oblitum;* sed cum alibi genetivus huic verbo nusquam apponatur[3]), *memoria,* quod est in codd. BCD, Seyffert suspicatus est ex *memoria,* i. e. *memoriam* corruptum esse, eumque secuti Brix et Ussing *memoriam*

---

[1]) De accusativo huic verbo adscripto cfr. Schaaff l. l. p. 40 not. 1.

[2]) *quom uenit* verbis suppleta est lacuna.

[3]) Amph. 1024 *nisi me esse oblitum,* non necessario ab Lindemanno ante *me* insertum est *mei.*

ediderunt; Schoell vero genetivum praetulit, qui codice F commendatur *memorie* praebente. Pro certo res diiudicari vix potest.

De ceteris huius verbi constructionibus v. Loch p. 28, Schaaff p. 42 not. 1.

immemor. Stich. 48 *nolo ego, soror, me credi esse inmemorem uiri* [1]).

Adiectiva, quae genetivum regunt obiectivum, aut transitiva aut intransitiva sunt natura, ut iis adscriptus genetivus aut accusativi aut dativi (ablativi) vices sustinere videatur. Item participia nonnulla cum genetivo obiectivo ponuntur, quamquam uerba finita, quorum sunt participia, alium casum sibi adsumunt.

doctus. Poen. 586 *hodie iuris doctiores non sunt, qui lites creant* [2]).

Ablativus cum *de* praepositione coniunctus ex *doctum fieri* pendet Pers. 540 *set te de aliis, quam alios de te suauiust fieri doctos.*

* **conscius.** Rud. 1247 *ne conscii sint ipsi malficiis suis*, quam codicum lectionem retinuit Schoell *malficiis suis* ablativum instrumenti esse explicans. Sed multi viri docti genetivum praetulerunt (qua de re cfr. Schoellii adn. crit., Ussingii comment., Langen Beitr. p. 121 sq.)

gnarus [3]). Asin. 551 *inductoresque acerrumos gnarosque nostri tergi*; praedicatum lacuna absorbuit. Rud. 210 *nec loci gnara sum nec dius hic fui.*

---

[1]) Hunc versum et qui sequuntur usque ad v. 57 Plautinos non esse contendit Goetz.

[2]) *iuris*, quod est in A et B, ceteri codices omittunt.

[3]) *gnaruris* cum *esse* coniunctum (= novisse) obiectum in accusativo adsumit Most. 100 *simul gnarures uos uolo esse hanc rem mecum*; quem accusativum plus offensionis habere, quam *quid tibi hanc tactiost* similia, quae apud Plautum satis usitata sunt, non censeo. Aliter Ritschl et Lorenz.

ignarus. Poen. 656 *ait se peregrinum esse huius ignarum oppidi.*

imperitus. Stich. 104 *ad uos inperitus rerum et morum mulierum discipulus uenio.*

peritus cum genetivo coniunctum non inveni; aliter ponitur Pers. 270 *nil iam mihi noui offerri pote, quin sim peritus.*

studiosus cum dativo construitur Mil. 802 *qui nisi adulterio studiosus rei nulli aliaest inprobus,* cum genetivo nusquam ponitur.

mendax. Asin. 855 *si huius rei me mendacem esse inueneris* (cfr. *rerum falsilocus* supra).

dignus uno loco teste Nonio cum genetivo construxit Plautus: Trin. 1153 *non ego sum dignus salutis.* Nonii auctoritatem secuti sunt Schoell, Ussing, Brix (qui de graecismo cogitat), alii; in codicibus vero Plautinis scriptum est *salute dignus.*

Ablativus huic adiectivo saepius subiunctus est. Amph. 857 *abin hinc a me, dignus domino seruos;* Asin. 149 *uiden ut ne id quidem me dignum esse existumat, quem adeat;* Bacch. 620 *omnibus probris, quae inprobis uiris digna sunt, dignior nullus est homo;* ib. 1055 *qui me esse dicat cruciatu malo dignum;* Merc. 395 *quia enim non nostra formam habet dignam domo;* ib. 978 *quibus est dictis dignus;* Mil. 342 *dignum es uerberibus multis;* Pers. 681 *quod te dignumst, me dignun esse uis;* Poen. 256 *diem . . . dignum Venere* [1]; ib. 1140 *facerentque indignum genere quaestum corpore;* ib. 1177 *deamauei munera . . . digna dea uenustissuma Venere;* Pseud. 272 *si dignu's alio pacto;* Rud. 640 *qui te digna ut eueniant precor;* Trin. 505 *quom adfinitate uostra me arbitramini dignum.*

cognominis. Bacch. 9 *illa mea cognominis fuit;* qui locus et varie scribitur et varie intellegitur: *cognominis* pro adiectivo recte habent Goetz et Ussing (cfr. Bacch. 39 *meretrices cognomines).* Ille codicum lectionem *mea* retinet, hic Ritschelium sequitur ex FC *mei* scribentem et genetivum obiectivum esse censet. Minus verisimile est, quod Schaaff (p. 34) contendit, *mei cognominis* esse genetivum qualitatis ex esse pendentem, quamquam

---

[1]) *Venere* praeeunte Pio Hermann; *ueneri* libri.

similis est usus ablativi qualitatis Men. 1122 *uno nomine ambo eratis*. Hic enim non de cognomine, sed de nomine agitur [1]).

similis frequentissimum est cum genetivo constructum. Aul. 111 *ueri simile non est;* Mil. 291 *abi, non ueri simile dicis;* Most. 13 *nec ueri simile loquere nec uerum;* ib. 89 *hominem quoius rei, quando natust, similem esse arbitror* [2]); Pseud. 403 *facit illud ueri simile quod mendaciumst;* Asin. 215 *hic noster quaestus aucupi simillumust*; Bacch. 913 *lippi illic oculi seruos est simillumus;* Cist. 78 *meretrix fortunati est oppidi simillluma;* Poen. 613 *nam similis malist* [3]); Truc. 169 *amator similis oppidist hostilis;* Mil. 519 *itast ista, huius similis nostrai* [4]) *tua, si quidem non eademst;* Men. 1089 *neque aqua aquae neque lactest lactis, crede mi, usquam similius* [5]); Asin. 68 *uolo me patris mei similem;* ib. 681 *quin ad hunc adgredimur, uirum optumum et non similem furis huius;* Men. 1088 *nam ego hominem hominis* [6]) *similiorem numquam uidi usquam alterum;* Amph. 601 *neque lac lactis* [7]) *magis est simile quam ille ego similest mei;* Bacch. 19 *sicut lacte lactis* [7]) *similest;* Mil. 240 *tam similem quam lacte lactist* [7]); Men 1089 *neque aqua aquae neque lactest lactis* [7]), *crede mi, usquam similius, quam hic tuist tuque huius autem;* Pers. 14 *similis est Sagaristionis;* Truc. 227 *meretricem sentis esse similem condecet;* Asin. 241 *portitorum*

---

[1]) Cas. 994 *immo extorrem illius* ***; num ex adiectivo pendeat genetivus, incertum est.

[2]) Most. 93 *atque hoc haud uidetur uerisimile nobis* et a Lorenzio et ab Ussingio suspectus habetur.

[3]) Dativum *malo* scripsit Camerarius, genetivum *mali* Ritschl.

[4]) *nostrai* scriptura Ritschelii et a Schoellio et ab Ussingio probatur; *nostrae* ex libris edidit Brix (cfr. eius adn. crit.)

[5]) Mil. 552 *nam ex uno puteo similior numquam potis aqua aeque sumi* secundum A scripsit Schoell; *aquai* pro *aeque* Bothe, Ritschl.

[6]) *homini* quod in libris est ab editoribus in *hominis* commutatum est (in versibus proximis alii genetivi ab eodem adiectivo pendent).

[7]) *lacti* praebent codices, sed *lactis* restituit Ritschl, alii, idque hoc loco recepit Ussing propter sequentes genetivos *tui* et *huius*, quamquam alibi secundum libros posuit dativum (cfr. comment. eius ad Amph. 595).

simillumae sunt ianuae lenoniae; Most. 91 *nouarum aedium esse arbitror similem ego hominem;* ib. 119 *ut homines aedium esse similis arbitremini;* Amph. 442 *nimis similest mei;* ib. 601 *quam ille ego similest mei;* ib. 856 *qui mei similis siet;* Truc. 505 *ehem, ecquid mei*[1]) *similest;* Amph. 284 *deos esse tui similes putas;* Capt. 582 *omnis inueniri similes tui*[2]); Rud. 500 *omnis tui similis hospites habeas tibi;* Truc. 507 *nimis quam tui similest;* hic *tui* coniecturae Spengelii debetur; libri enim *nimium quidui* exhibent. Trin. 284 *ut sit sui similis;* Men 1090 *quam hic tuist tuque huius autem;* Mil 700 *mihi quae huius similis sermones serat; huius* generis neutrius esse videtur. Aliter se habet Amph. 267 *facta moresque huius habere me similes* (v. genet. posses.) Mil. 448 *qui scio, an ista non sit Philocomasium atque eius alia similis sit;* ib. 699 *haec atque horum*[3]) *similia alia damna multa mulierum me uxore prohibent;* Pseud. 57 *ut qui huc adferret eius similem symbolum;* Most. 128 *nituntur ut alii sibi esse illorum similis expetant.*

Itaque *similis,* quamquam in codicibus nonnullis locis cum dativo constructum apparet, ab editoribus tamen ubique cum genetivo positum est. Neque aliter construitur hoc adiectivum cum praepositionibus coniunctum: adsimilis, consimllis, persimilis; nisi quod dissimilis apud Plautum nullum casum regit (cfr. Brixii adn. ad Capt. 116).

adsimilis. Merc. 957 *quasi tu numquam quicquam adsimile huius facti feceris.*

consimilis. Capt. 116 *liber captiuos auis ferae*[4]) *consimilis est;* ib. 123 *auis me ferae consimilem faciam;* Poen. 824 *quoius hominis erus est consimilis*[5]).

---

[1]) *mei* pro *mihi,* quod in codicibus est, edidit Schoell Ritschelium secutus.

[2]) *tibi* in codicibus est, idque retinendum esse censet Ussing; *tui* alii editores recentiores scribunt.

[3]) *horum* restituit Ritschl pro codicum *huius.*

[4]) *ferae* Turnebus, *fere* libri.

[5]) Genetivum posuerunt Goetz et Loewe duce Gepperto; dativum defendunt Lachmann et Ussing praeeunte Bothio.

persimilis. Pers. 698 *uideor uidisse hic forma persimilem tui.*

aemulus. Pseud. 196 *quae amicos habes lenonum aemulos.*

par. Rud. prol. 49 *ei aderat hospes par sui* [1]), *Siculus senex.*

Inter **participia praesentis,** quae adiectivorum modo genetivum obiectivum adsumunt, ea hoc loco non enumerabo, quae ex verbis proficiscuntur, quorum formae finitae quoque genetivum regant, quoniam sub suo quodque verbo allata sunt (v. *cupere, egere, indigere*).

amans. Asin. 591 *tui amans abeuntis egeo;* ib. 857 *meum uirum rata sum probum, amantem uxoris maxume.* [2])

gerens. Truc. 145 *plerique idem quod tu facis faciunt, rei male gerentis;* ib. 223 *piaculumst miserere nos hominum rei male gerentum.* [3]) Genetivum in accusativum contra optimos codices nonnulli commutare voluerunt. (De genetivo cfr. Brix ad Capt. 264).

* **persequens.** Cas. 159 *flagiti persequentem* in libris est; *viam* addidit Schoell (v. genet. possess.) [4]).

Substantiva, quae cum genetivo ponuntur obiectivo, verbali sunt natura. Genetivi iis adscripti quamquam saepissime pro accusativo poni videntur, non raro aliis quoque casibus obliquis respondent.

---

[1]) *par sui* Fleckeisen, *parui* libri. De dativo huic adiecttivo adscripto v. Schaaff p. 30 not 1.

[2]) Cas. 435 *mei beneuolentis atque amici prodeunt, mei* (Mueller in Pros. p. 520 pro librorum *mihi*) pronomen possessivum intellegendum est, cum *beneuolens* pro substantivo saepius adhibuerit Plautus (cfr. Lorenz ad Most. 195). Item Trin. 46 *tui beneuolentis* (sc. uox sonat).

[3]) *gerentum* AB, *gerentium* ceteri.

[4]) Cas. prol. 63 *sciens eius mater ei dat operam* adferri solet, sed *eius* delendum est (cfr. Loch p. 24).

amor. Amph. arg. II. 1. *amore captus Alcumenas;* ib. 841 *deum metum, parentum amorem et cognatum concordiam* (sc. mihi esse dotem duco); Asin. 883 *fateor ... me ex amore huius esse conruptum;* pro obiectivo potius quam pro subiectivo genetivum habendum esse censeo. Cist. arg. 8 *amore capto illius proiecticiae;* Merc. 443 *sanus non est ex amore illius;* Mil. 1163 *nempe ut adsimulem me amore istius differri;* ib. 1164 *quasique istius causa amoris ex hoc matrimonio abierim; istius* genet. obiect. est („aus Liebe zu jenem" Brix). Merc. 445 *efflictim perit eius amore;* Curc. 96 *(flos uini).... eius amor cupidam me huc prolicit.*

arrabo. Mil. 957 *hunc arrabonem amoris primum a me accipe.*

circumductio. Capt. 1031 *nec pueri suppositio nec argenti circumductio* (sc. in hac fabula est).

cheuma. Poen. 701 *ibi ego replebo te usque unguentum cheumatis.*

concordia. Amph. 841 *deum metum, parentum amorem et cognatum concordiam* (sc. mihi esse dotem duco).

condimentum. Rud. 402 *animus aequos optumumst aerumnae condimentum;* Poen. 1370 *quod postremumst condimentum fabulae.*

conditor. Epid. 523 *qui omnium legum atque iurum*[1]) *fictor, conditor cluet.*

conlatio. Mil. 942 *ubi facta erit conlatio nostrarum malitiarum.*

conlator. Curc. 474 *ibidem erunt scorta exoleta quique stipulari solent: symbolarum conlatores apud forum piscarium.*

consultatio. Epid. 283 *iam igitur amota ei fuerit omnis consultatio nuptiarum.*

copia. Asin. 75 *me orauit uti sibi amanti facerem argenti copiam;* ib. 848 *amanti argenti feci copiam;* Curc. 330 *argenti faciat copiam;* Cas. 623 *nescio unde auxili praesidi perfugi mi aut opum copiam comparem aut expetam;* ib.

---

[1]) *iurium* F.

842 *huius quom copiam mihi dedisti;* ib. 450 *quod cupiebas, eius copiam feci tibi;* Cist. 136 *feci eius ei, quod me orauit, copiam;* Epid. 356 *ne tibi eius copia esset;* Merc. 906 *deos orabo, ut eius faciant copiam;* Mil. 1229 *ut eius mihi sit copia, quem amo quemque expetesso;* Trin. 671 *quando eius copiast;* Mil. 971 *ut tui copiam sibi potestatemque facias* scripsit Ritschl ex libris deterioribus pro *eam copiam* cet., quod et Brix et Goetz retinuerunt (cfr. Brix ad Mil. 769 *hanc copiam* = huius rei cop., Loch p. 6). Ceterum huius genetivi magna est similitudo cum genetivo quantitatis, cum de rebus, non de personis ponitur: *copia argenti,* cet. (cfr. genet. quantit. *copia),* et cum genetivo copiae similitudinem quandam habet. Alia exempla v. genet. gerundii.

Omissus est genetivus ante pronomen relativum Capt. 216 sq. *quom quae uolumus nos copiast,* ut saepe solet Plautus hoc pronomen paulo liberius adnectere.

corruptelae. Poen. 830 *quae illic hominum*[1]) *corruptelae fiunt.*

corruptor. Trin. 240 *latebricolarum hominum corrumptor* (sc. est); Poen. 816 *ut perderemus corruptorem ciuium.*

cupido. Trin. 676 *tum igitur aquae erit tibi cupido;* Poen. 157 *differor cupidine eius.*

cupiditas. Merc. 657 *dum illius te cupiditas atque amor missum facit.*

curator. Poen. prol. 36 *quodque ad ludorum curatores attinet.*

custos. Trin. 252 *ducitur familia tota: auri custos;* Mil. 153 *ita sublinetur os custodi mulieris.*

deliquio[2]). Capt. 626 *quin mihi et parentum et libertatis apud te deliquio siet.*

dilectus. Poen. 838 *ita uinariorum habemus nostrae dilectum domi* videtur pro genetivo obiectivo habendum esse, sive ex re militari sumpta est imago, sive proprio sensu intellegitur.

---

[1]) *hominem* B exhibet.

[2]) De hoc vocabulo cfr. Brixii adn. ad h. l.

distractio, discidium. Pseud. 69 *harunc uoluptatum mi omnium . . . distractio discidium, uastities uenit*[1]).

faber. Most. 120 *primumdum parentes fabri liberum sunt.*

fictor. Epid. 523 *qui omnium legum atque iurum fictor, conditor cluet.*

fides. Pers. 785 *quia fidem ei non habui argenti.*

fiducia. Most. 37 *mei tergi facio haec, non tui fiducia.*

fraudatio. Asin. 257 *qui ad eri fraudationem callidum ingenium gerunt.*

fundamentum. Most. 121 *ei fundamentum supstruont liberorum.*

fur. Poen. 184 *quid tum dubitas quin extempulo dupli tibi, auri et hominis, fur leno siet; dupli* i. e. duarum rerum (Ussing). Poen. 1335 *et mi hic auri fur est* (item 1384).

gratiam *habere.* Mil. 1355 *tibi habeo magnam gratiam rerum omnium.* Huc nescio an referendum sit Cist. 599 *illius ego istanc esse malo gratiam.*

heres. Men. 477 *apstuli hanc, quoius heres numquam erit;* Fest. Epit. p. 29 „*heres*“, inquit, „apud antiquos pro *domino* ponebatur“ (v. Ussingii comment.).

indagator. Trin. 241 *celatum indagator* (sc. est).

inlecebra. Cas. 887 *inlecebram stupri principio eam sauium posco.*

inlex. Poen. 745 *qui illi malae rei tantae fuimus inlices;* nisi dativus est *rei.*

inopia. Curc. 334 *maxumam argenti inopiam* (sc. sibi esse); Asin. 724 *quid exoptem nisi illud quoius inopiast;* Merc. 650 *si quam amare forte occipias atque item eius sit inopia;* Rud. 398 *sibi eorum euenisse inopiam.* De significatione huius genetivi cfr. supra *copia.*

integumentum. Bacch. 601 *illius sum integumentum corporis;* duo genetivi simul apparent, quorum alter possessivus est *(illius)*, alter obiectivus *(corporis)*.

---

[1]) Stich. 283 *quae misera in exspectationest Epignomi aduentus uiri* adfert Loch (p. 6) *aduentus* cum Ritschelio in genetivo scribens; quae scriptura reicienda est, et quod optimi codices *aduentum* praebent et quod genetivus huius vocabuli apud Plautum *aduenti* debet esse (cfr. suff. *-us*).

inuentu. Merc. 847 *eorum inuentu res pessumas pessum dedi* (cfr. *iussu, missu,* cet. genet. subiect.).

metus. Amph. 841 *deum metum, parentum amorem et cognatum concordiam* (sc. mihi esse dotem duco).

nuptiae. Mil. 1165 *cupiens istius nuptiarum* (cfr. genet. possess. *nuptiae*).

obsessor. Pseud. 807 *fui obsessor fori.*

oppressiuncula. Pseud. 68 *papillarum horridularum oppressiunculae.*

optio. Trin 1052 *duarum rerum exoritur optio.*

osor. Asin. 859 *scito illum ... incontinentem atque osorem uxoris suae;* Poen. arg. 2 *ossor mulierum ibi emptum adoptat hunc senex;* ib. prol. 74 *uendit eum quoidam seni, osori mulierum.*

perquisitor. Stich. 385 *maliuoli perquisitores auctionum perierint.*

potestas. Cas. 535 *ne illis ignauissumis liberi loci potestas sit uetulis ueruecibus;* Trin. 822 *quos penes mei fuit potestas;* Pers. 602 *etsi mihi dixit dare potestatem eius* (v. genet. gerundii).

procurator. Pseud. 608 *condus promus sum procurator peni.*

proditor. Rud. prol. 50 *ei aderat hospes par sui ..., urbis proditor.*

raptor. Men. prol. 65 *rapidus raptori pueri subduxit pedes;* Trin. 254 *ducitur familia tota: ... raptores panis et peni;* Epid. 300 *illam adulescens deperit auro opulentus ... raptor hostium.*

ratio. Mil. 773 *accipe a me rusum rationem doli;* Most. 304 *bene igitur ratio accepti atque expensi inter nos conuenit;* Truc. 749 *item ut Accherunti hic apud nos ratio accepti scribitur;* Trin. 418 *nequaquam argenti ratio conparet tamen;* Mil. 772 *igitur rationem mearum fabricarum dabo.*

satietas. Amph. 473 *satietatem dum capiet pater illius, quam amat*[1]).

---

[1]) Mil. 54 *satietas belli quia erat* edidit Ritschl pro *peditastelli* cet. ,de quo cfr. Brix ad h. l.

seruator. Pseud. 873. 874 *sum hominum seruator.*

spes. Pseud. 98 *neque libellai spes sit usquam;* Poen. 1188 *quam penes spes uitae sunt hominum;* genetivus possessivus *(hominum)* et genetivus obiectivus *(uitae)* simul ponuntur. Capt. 104 *necullast spes iuuentutis;* Rud. 679 *salutis meae spes;* Men. 462 *etiamnum reliquiarum spes animum oblectat meum.*

Conferendus est ablativus cum de praepositione coniunctus Most. 567 *spes est de argento.*

stabilimentum. Curc. 367 *haec sunt uentris stabilimenta.*

suppositio. Capt. 1031 *nec pueri suppositio nec argenti circumductio;* Truc. 437 *suppositionem pueri quae mihi credidit;* Cist. 149 *ita properauit de puellae proloqui suppositione.*

suspicio. Amph. 489 *ne in suspicione ponatur stupri.*

usura. Amph. 1135 *Alcumenae usuram corporis cepi;* ib. 108 *usuramque eius corporis cepit sibi;* utroque loco genetivus possessivus iuxta obiectivum ponitur.

usus, cet. Merc. 832 *usus, fructus, uictus, cultus iam mihi harunc aedium interemptust, interfectust, alienatust;* loquacitas voces similes congerit (cum *uictus aedium* cfr. *uictus uentris* genet. subiect.). Most. 113 *nequior factus iamst usus aedium.*

uaciuitas. Curc. 319 *ita cibi uaciuitate uenio lassis lactibus* (cfr. genet. inopiae).

uastities. Pseud. 69 *harunc uoluptatum mi omnium .. uastities uenit* (v. supra *distractio).*

uictor. Amph. 647 *meus uictor uir belli clueat*; Trin. 302 *uictor uictorum cluet.* Horum genetivorum prior locativam speciem prae se fert [1]).

uiduitas. *omnium copiarum atque opum auxili praesidi uiduitas nos tenet* (cfr. genet. inop.).

Pro obiectivis credo hos quoque genetivos haberi posse, quamquam minus perspicua est verbalis natura nominum

---

[1]) Cfr. A. Bell De locativi in prisca latinitate ui et usu (Vratislaviae 1889) p. 23.

regentium, ut ad similitudinem possessivorum aliorumque genetivorum interdum prope accedant.

confidentia. Asin. 547 *scapularum confidentia, uirtute ulmorum freti.*

cruciabilitas. Cist. 203 *omnis homines supero atque antideo cruciabilitatibus animi.*

gratiam. Rud. 1414 *iuris iurandi uolo gratiam facias;* i. e. „concedas ne eo obligatus sit" (Ussing).

gloria. Rud. 524 *qui semper seruas gloriam aritudinis.*

honor. Amph. 486 *Alcumenae honoris huius* [1]) *gratia pater curabit* cet.; Aul. prol. 25 *eius honoris gratia feci.*

lex. Pseud. 303 *annorum lex me perdit quinauicenaria.* De sententia huius loci v. Ussingii comment.

opera. Trin. 365 *multa illi opera opust ficturae* (de *fictura* v. Brixii adn.). Most. 60 *orationis operam compendi face,* obiectivus videtur esse genetivus, quamvis singularis sit (cfr. tamen *aurium operam* sub genet. subiect.).

periclum. Capt. 740 *periclum uitae meae tuo stat periculo* pro obiectivo habendum censeo (v. Brixii adn.).

praemium. Capt. 1036 *qui pudicitiae esse uoltis praemium.*

praesidium. Cas. 536 *egreditur senati columen, praesidium popli* [2]).

pretium. Men. 976 *haec pretia sunt ignauiae.*

Hic mihi idoneum videtur adferre eos locos, ubi

operae pretium est ponitur: Amph. prol. 151 *adeste, erit operae pretium* [3]); Cas. 879 *est operae pretium auribus percipere;* Mil. 31 *ne hercle operae pretium quidemst;* Most. 842 *latius demum operaest pretium iuisse;* Poen. 1174 *fuit hodie operae pretium quoiuis . . . oculis epulas dare;* Rud. 947 *est operae pretium, quod tibi ego uolo narrare.*

proelium. Pers. 24 *saucius factus sum in Veneris proelio.*

---

[1]) *huius honoris* defendit Ussing.

[2]) Asin. 294 *ne post tempus praedae praesidium parem;* quo loco dativus potius quam genetivus intellegendus est.

[3]) Fleckeisen delevit *pretium.*

Denique huc referendi videntur ii genetivi qui sunt:

testes dare. Men. 812 *deosque do testis, — qua de re aut quoius rei rerum omnium? — me neque isti male fecisse* cet.; nam quamquam accusativum cum infinitivo adhibiturus erat is qui loquebatur, tamen ab eo quem alloquebatur ad eadem verba et genetivus *(quoius rei)* et ablativus *(qua de re)* accommodatus est.

geruliflgulus. Bacch. 381 *adfinis tuos tua infamia fecisti gerulifigulos flagiti.*

damnigerulus. Truc. 551 *ite hac simul, damnigeruli gerronis;* verum cum *damnigerulus* adiectivum sit compositum, valde dubium est, num ulla in *damni* genetivi notio apparuerit (cfr. genet. copiae *potens*).

Postremo loco eos genetivos obiectivis addam, qui in conviciis ponuntur; cuiusmodi genetivi apud Plautum et frequentissimi sunt et maxime varii (v. genet. possess., apposit.).

accipiter. Pers. 409 *pecuniai accipiter auide atque inuide;* prima significatio vocis *accipiter* premitur *(accipere).*

custos. Asin. 297 *quid agis, custos carceris* (cfr. supra *custos).*

exagoga. Truc. 552 *ite hac simul, bonorum exagogae.*

exitium. Asin. 133 *capitis te perdam ego et filiam, perlecebrae, pernicies, adulescentum exitium.*

fraus. Pseud. 365 *fraus popli.*

inlecebra. Cist. 276 *mali damnique inlecebra, salue* (cfr. supra *inlecebra).*

liberator. Pers. 419 *scortorum liberator.*

occisor. Mil. 1055 *exprome . . . ingenium urbicape, occisor regum.*

perfossor. Pseud. 979. 980 *ut uestitu's es, perfossor parietum.*

perlecebrae, persuastrix. Bacch. 1167 *eunt eccas tandem probri perlecebrae et persuastrices.*

pernicies. Pseud. 364 *pernicies adulescentum.*

sator, sartor, cet. Cas. 661 *sator sartorque scelerum et messor maxume.*

suppostrix. Truc. 763 *tibi iniciam manum quadrupuli, uenefica, suppostrix puerum.*

tritor. Men. 268 *tu magnus tritor*[1] *mulierum es, Messenio;* Pers. 420 *compedium tritor;* Pers. 795 *quid ais, crux, stimulorum tritor.*

Genetivus possessivus.

Genetivi possessivi usus cum frequentissimus tum maxime varius est. Nam quamquam vera possessiva notio qua id quod quis possidet significatur, haud ita multis locis statui potest, plurimi huc referendi sunt genetivi, quorum alii ad genetivos vere possessivos propius accedunt, alii cum aliis genetivis similitudinem quandam habent. In omni enim usu genetivi adnominali persaepe accidit, ut ipsa notio admodum vaga et ambigua evadat, ut fines certos eius usus constituere difficillime sit. Neque minus difficultatis in his genetivis dividendis atque ordinandis positum est, praesertim cum a grammaticis parum diligenter tractari soleant. Initium tamen ut solemus ab eis exemplis faciemus, in quibus genetivus ex verbis esse et fieri pendens possessivam naturam prae se fert.

esse. Cas. 202 *hoc uiri censeo esse omne quicquid tuomst;* Amph. 483 *Amphitruonis alter est* (sc. filius) *alter Iouis;* Pseud. 690 *quia lenonis me esse dixi* (de seruo in-

---

[1]) Schoellii coniecturae debetur *tritor;* codicum *amator* plerique editores defendunt.

tellegendum est). Rud. 1261 *tuosne est* (sc. uidulus)? — *rogitas, si quidem hercle Iouis fuit,' meus est tamen;* Amph. 346 *possum scire, quo profectus quoius* [1]) *sis* (ab seruo quaeritur); ib. 375 *quoius nunc es;* ib. 378 *quoius es;* Merc. arg. II, 5 *quoius sit percontatur;* Truc. 604 *quoius es;* Rud. 963 *uidulum istum quoiust noui ego hominem;* ib. 967 *ego illum noui quoius nunc est, tu illum quoius antehac fuit;* ib. 1021 *si ueniat nunc dominus quoiust;* Stich. 545 *quoius erant tibicinae;* Trin. 533 *quoius ille ager fuit;* Trin. 536 *nunc hic quoius est;* Asin. 203 *uetus est: „nihili coctiost", scis cuius;* Rud. 1094 *si scelesti illius est hic quoius dico uidulus;* Men. 904 *qui illius esse dico, quae meast* (uita intellegitur); Bacch. 986 *nosce signum: estne eius;* Rud. prol. 2 *qui ... terras mouet, eius sum;* ib. prol. 79 *sed seruos illic est eius qui egreditur foras;* Rud. prol. 52 *is illius laudare infit formam uirginis et aliarum itidem quae eius erant mulierculae*; hic genetivus proxime ad substantivum *(mulierculae)* accedit. Trin. 178 *eius essetne ea pecunia;* Cist. 466 *ut eorum, quoniam esse oportet te, sis potius quam mea;* Trin. 534 *quoium* [2]) *fuit, alii exolatum abiere, alii* cet.

Cum his genetivis congruit ablativus, qui ex praepositione *ab* pendet, Pseud. 616 *esne tu an non es ab illo militi Macedonio;* Mil. 1046 sqq. *haec illaec est ab illa quam dudum dixi. — quanam ab illarum? — ab illa quae digitos despoliat suos.* Conferendum est hoc quoque exemplum: Cist. 491 *haec cistella numnam hinc ab nobis domo est.*

Alia est significatio horum exemplorum: Cist. 236 *nam meretricem adstare in uia solam, prostibuli sane est;* Stich. 765 *prostibulist stantem stanti sauium dare amicam amico;* Most. 814 *et bene monitum duco atque esse existumo humani ingeni* [3]); Most. 190 *matronae, non meretriciumst, unum inseruire amantem* (de forma *meretricium* v. p. 11); Capt. 583

---

[1]) *quoius* genetivum esse censeo, quamquam apud Plautum adiectivi munere saepe fungitur.

[2]) De hac forma v. supra p. 10.

[3]) Ita et Ussing et Lorenz recte ediderunt; Ritschl minus bene *te esse* cet. (v. Ussingii comment. et Loch p. 9).

est miserorum ut maleuolentes sint (cfr. infra *officium* in similibus sententiis).

fieri. Trin. 521 *agrum numquam siris fieri gnati tui.*

Inter genetivos possessivos qui ex substantivis pendent primus locus iis debetur, quibus unde quis ortus sit expimitur (**genetivus originis**). His eos subiungemus, qui ad cetera familiarium nomina referuntur (nomina cognationis). Hoc exemplum, in quo genetivus ex *esse* verbo pendet, Capt. 887 *sed Stalagmus quoius erat tunc nationis, quom hinc abit* huc referri posse videtur, quamquam genetivis qualitatis simillimum est (v. supra genet. qualit.)

Ablativus originis frequentissimus est. Cum genetivo supra allato conferendus est ablativus Capt.' 279 *quo honorest illic. —· summo atque ab summis uiris;* Capt. prol. 30 *indaudivit de summo loco captum unum esse equitem Aleum.*

gnatus, gnata. Poen. 1047 *Antidamae gnatum me esse;* Poen. arg. 7 *gnatum hunc fratris repperit;* ib. 1196 *quid est, mei fratris gnate;* Pseud. 199 *quasi Dircam olim ut memorant duo gnati Iouis deuinxere ad taurum;* Aul. arg. I, 7 *a sorore suasus ducere uxorem auari gnatam deposcit sibi.*

Multo saepius quam genetivus huic vocabulo apponitur ablativus sive nudus sive cum praepositione coniunctus. Pers. 252 *Ioui opulento incluto, ope gnato . . . lubens uitulor;* Aul. 778 *genere quo sim gnatus;* Capt. 295 *quo genere gnatus sis;* Poen. prol. 110 *rogitat . . . quo genere gnata* (sc. sit.); Trin. 373 *quo genere gnatus sit;* Pseud. 356 *istoc genere gnatus;* Poen. 1186 *eo sumus gnatae genere;* Pseud. 590 *eo sum genere gnatus;* Capt. 319 *summo genere gnatum;* Cist. 24 *ubi istas uideas summo genere gnatas summatis matronas;* Most. 1141 *quod summis gnati generibus* (sc. faciunt). Praepositio additur Capt. 277 *quo de genere gnatust;* Poen. 1240 *feilias meas celauistis . . . summoque e genere gnatas* (de ablativo *genere* cfr. supra ablat. qualit.). Cum ablativo, non cum genetivo item coniungitur

natus, nata. Amph. prol. 28 *humana matre natus, humano patre;* ib. prol. 98 *natus Argis Alcaeo patre;* Men. 1102 *geminos, una matre natos et patre uno;* Rud. 738 *haec est nata Athenis ingenuis parentibus;* Pers. 594 *quo genere aut qua in patria nata sit aut quibus parentibus;* Epid. 169 *genere natam bono . . . ducere uxorem;* Merc. 969 *qui bono sunt genere nati;* Pers. 645 *haec erit bono genere nata.* Praepositio additur Cist. 438 *non ex uxore natam;* ib. 440 *ex priore muliere nata, inquam,*

meo ero filia est; ib. 445 *ex ea nata est haec uirgo;* Epid. 636 *e Philippa matre natam Thebis, Epidauri satam;* Rud. 704 *te ex concha natam esse autumant.*

prognatus videtur cum genetivo constructum esse Cas. 398 *utinam tua quidem sic, Herculei ut prognatis praedicant quondam, in sortiendo sorde facta sors delicuerit,* nam *herculei* codices meliores habent, *herculeis* deteriores. Sed ablativum scribendum esse censuit Ussing sicut Epid. 32 *tum ille prognatust Theti,* quem locum adfert Priscianus ut ablativum *Theti* probet (v. Ussing ad h. l.); qui quidem casus huic voci saepissime subiungitur.

Ablativus apponitur

Amph. 614 *Dauo prognatum patre eodem quo ego sum, forma aetate item qua ego sum;* Men. 408 *Mosco prognatum patre;* item 1078; 1079 *tun meo patre's prognatus;* Aul. 212 *quali me arbitrare genere prognatum;* Capt. 170 *prognatum genere summo et summis ditiis;* Epid. 107 *captivam genere prognatam bono de praeda's mercatus;* Poen. 1201 *non eo genere sumus prognatae.*

cognatus. Poen. arg. 3 *item eius cognatae duae ... raptae* (sc. sunt). De Capt. 528 v. *sodalis.*

filius saepissime cum genetivo ponitur. Asin. 522 *quotiens te uotui Argyrippum filium Demaeneti conpellare;* ib. 751 *Glauci filius;* Bacch. 308 *quis istic Theotimust? Megalobuli filius;* de hoc loco cfr. Holtze (p. 7), qui *Megalobyzi* (coni. Ritschl) *filius* pro Megalobyzus (= sacerdos Dianae) dici contendit. Bacch. 842 *Nicobuli filius;* Epid. 673 *ille quidem Volcani iratist filius;* Merc. arg. II, 9; Most. 28; Truc. 857; Epid. 246 *ibi illa nominat Stratippoclem, Periphanai filium;* ib. 508 *Stratippoclem aiunt, Periphanai filium;* Trin. 359 *quoii egestatem tolerare uis? — Lesbonico huic adulescenti, Charmidai filio;* Poen. 1042 *Antidamae filium commostra, si nouisti;* Amph. 30 *qui Iouis sum filius;* Asin. 344; Bacch. 645; Capt. arg. 1; ib. 95; Poen. prol. 122; ib. prol. 125; ib. 952, 954 (suspect.), 997, 1072, 1257, 1325; Trin. 604; ib. 1134; Mil. 1081 *quoius filii tam diu uiuont*[1]);

---

[1]) *cui* habet B (cfr. Luchs in Studem. Stud. p. 344).

Capt. 396 *quo facto mihi cum hoc modo conuenerit de huius filio;* ib. 437, 576, 988, 1015, 1016; Most. 664 *eius emisse aedis huius dicam filium;* genetivus *huius* ad *filium, eius* ad *aedis* referendus videtur. Bacch. 366 *erili filio eius hanc fabricam dabo;* Poen. 957; Trin. 1122.

filia. Amph. 99 *quicum Alcumenast nupta, Electri filia;* Pers. arg. 4; Epid. 33 *alia adportabunt Nerei ei filiae;* Epid. 635 *uideon ego Telestidem te, Periphanai filiam;* Aul. 290 *uicini huius Euclionis hinc e proxumo (*sc. filiam ducit); ib. 476, 603, 683; Cist. 338; ib. 438; Epid. 585; ib. 604, 700; Trin. 1183 *haec tibi paetast Callicletis filia;* Aul. 479 *pauperiorum filias ut indotatas ducant uxores domum;* Aul. 289 *quoius ducit filiam;* Cas 1013 *haec Casina huius reperietur filia esse ex proxumo;* Cist. 390; ib. 441, 442; Poen. 1136; ib. 1171, 1246; Epid. 717 *ain tu te illius inuenisse filiam;* Mil. 111; Trin. 157; Aul. arg. II, 3 *Lyconides istius uitiat filiam;* Aul. arg. I, 4 *eius filiam Lyconides uitiarat;* Cist. 455 *eam nunc puellam filiam eius quaerimus.*

liberi. Trin. arg. 9 *quoius nubunt liberi;* ib. 1113 *ob rem et liberos apsentis mei eri,* quo loco corrupto *apsentis mei eri* addidit Ritschl. — Huc accedit

adoptaticius. Poen. 1045 *siquidem Antidamai quaeris adoptaticium.*

gener. Cist. 585 *istic quidem edepol mei uiri habitat gener.*

nepos. Mil. 15 *erat imperator summus, Neptuni nepos;* ib. 1265 *nepos sum Veneris.*

pullus. Asin. 209 *quasi columbae pulli in ore ambae meo usque eratis.*

frater. Poen. 1257 *hic est cognatus uoster, Iahonis fratris filius;* duo genetivi substantivo ita adiunguntur, ut alter ex altero pendeat; quod apud Plautum minus usitatum est. Trin. 820 *Iouis fratri aetherei Neptuno laudes ago;* Curc. 716 *hic huius frater est;* Mil. 62 *immo eius frater, inquam, est;* Pers 830 *hic eius geminust frater.*

soror. Mil. arg. II, 11 *geminam fingit mulieris sororem adesse;* Curc. 716 *haec autem huius est soror;* Mil. 475

quin soror istaec sit gemina huius; Poen. 895 *soror illius altera Anterastylis* (sc. ingenuast). Trin. arg. 5 *soror istius poscitur;* Mil. 975 *sicut soror eius huc gemina aduenit Ephesum;* ib. 1105 *uidi sororem hic eius.*

coniunx. Merc. arg. II, 11 *eam domi deprensam coniunx illius uicini scortum insimulat.*

uir. Bacch. 851 *uir hic est illius mulieris quicum accubat;* Stich. 393; Men. 773 *ante aedis eius uirum uideo tristem;* Mil. 1276; Stich. 268; ib. 3 *quarum uiri hinc absunt;* ib. 677 *quoniam nuntiatumst ipsarum uenturos uiros.*

uxor. Merc. 241 *ut una illaec capra uxoris simiai dotem ambederit.* Bacch. 961 *quom censuit Mnesilochum cum uxore esse dudum militis;* ib. 1009; Cas. 58; Mil. arg. I, 12; ib. 969; ib. 908 *atque huius uxorem esse te uolo adsimulare;* Asin. 811 *emori me malin, quam haec non eius uxori indicem;* Cas. 480 *quid eius uxor? ubi erit?*

pater. Bacch. 877 *pater hic Mnesilochist;* ib. 1105; Men. prol. 39 (suspect.); Pseud. 897; Truc. 596; ib. 890; Capt. 975 *is quidem huius est pater Philocratei;* Most. 374 *pater aduenit peregre Philolachae;* Truc. arg. 9 *tandem compressae pater cognoscit omnia;* Bacch. 404 *uideo incedere patrem sodalis et magistrum;* Trin. 894; Poen. 1123 *erus hic quidem meust, mearum alumnarum pater;* Most. 970 *quoius est pater Theopropides* [1]); Aul. 619 *hic pater est ut ego opinor huius;* ib. prol. 5 et 22 (v. *auus*); Capt. prol. 4; ib. prol. 10; ib. prol. 17: ib. 574; Poen. 120 (suspect.); Pseud 314; ib. 733; Merc. arg. II, 14 *qui patrem illius hortatur;* Most. 611; Aul. prol. 17 *ecqui maiorem honorem haberet quam eius habuisset pater;* Capt. 107; ib. 289; Cist. 99; Men. 34; Most. 957; ib. 970, 981, 985, 1127; Rud. 1214; ib. 1277; Trin. 176; ib. 737 *facere id eius ob amicitiam patris;* ib. 741; Poen. prol. 115 *pater harunc idem huic patruos adulescentulost;* Poen. prol. 104 *sed pater illarum Poenus posqum eas perdidit.*

---

[1]) Most. 962 *quoi patrem Theopropidem esse opinor* edidit Lorenz secundum BCD; *cuius* exhibet A (cfr. Luchs l. l. p. 344).

mater. Amph. 831 *per supremi regis regnum iuro et matrem familias Iunonem;* Merc. 405 *quia illa forma matrem familias flagitium sit sei sequatur;* ib. 415 *ut matrem addecet familias;* Stich. 98 *quibus tu nos uoluisti esse matres familias;* Mil. 110 *sublinit os illi lenae matri mulieris;* Asin. 632 *hinc med amantem ex aedibus eiecit huius mater;* ib. 725; Cist. 577 *ego sum illius mater;* Mil. 1299; Cist. 257 *ad matrem eius deuenias domum;* Mil. 106; ib. 976; Rud. 1271; ib. 1276; Trin. 111; Merc. arg. II, 6 *seruos pedisequam ab adulescente fingit matri emptam ipsius.*

patruos. Poen. prol. 54 *latine Patruos Pultiphagonidae*[1]) (sc. vocatur haec comoedia); Poen. prol. 83 *sed huius illi patruo, qui uiuit senex, Carthaginiensi duae fuere filiae;* Cist. 339 *itaque me Saturnus, patruus eius —*

auos, proauos. Men. prol. 38 *postquam . . . rediit nuntius ad auom puerorum* (suspect.); Aul. prol. 5 *hanc domum iam multos annos est quom possideo et colo patrique auoque iam huius qui nunc hic habet;* ib. prol. 22 *ut pater auosque huius fuit;* Aul. prol. 6 *mihi auos huius obsecrans concredidit thensaurum;* Trin. 967 *ab auo eius aut proauo acciperem.*

auia. Cist. 340 *itaque me Ops opulenta, illius auia —*

auonculus. Aul. 35 *is adulescentis illius est auonculus.*

Cum genetivis obiectivis magnam habent similitudinem ii qui sequuntur genetivi possessivi:

amator. Asin. 178 *quasi piscis itidemst amator lenae;* ib. 758 *aut quod illa amicae suae amatorem praedicet;* Pseud. 210 *quoius amatores oliui dynamin habent.*

cultor. Amph. 1065 *et tibi et tuis propitius caeli cultor aduenit.*

colonus. Asin. 298 *o catenarum colone.*

dominus. Merc. 44 *leno inportunus, dominus eius mulieris . . . rapiebat domum;* Poen. 158 *istoc Lyco illius domino non*

---

[1]) Ex libris *Pultiphagonides* scripsit Ussing. Ceterum hic versus varie scribitur.

lutumst lutulentius; Mil. arg. II 12 *mox ei dominus aedium suam cluentam . . . subornat;* Most. 686; Pseud. 1141.

erus. Pers. 787 *siquiden huc umquam erus redierit eius.*

imperator. Asin. 656 *di te seruassint, salus interioris corporis amorisque inperator;* Capt. 307 *ut ipse fui imperator familiae habeam dominum* (pro dativo haberi potest). Amph. 1121 *summus imperator diuom atque hominum Iuppiter;* Rud. prol. 9.

interpres. Poen. 444 *Oidipo opus coniectore, qui Sphingi interpres fuit;* utrum pro genetivo abiecta littera *-s* [1]), an pro dativo habeam *Sphingi* dubius sum. Illud tamen sententia ipsa commendari videtur.

nutrix. Stich. 649 *saluete Athenae, quae nutrices Graeciae;* Aul. 815 *credo ego illum eampse anum adiise, huius nutricem uirginis;* Poen. 1117 *si illarumst nutrix;* ib. arg. 4 *eius cognatae duae nutrixque earum raptae* (sc. sunt); ib. 898, 111.

pastor. Bacch. 1122 *pastor harum dormit.*

regnator. Amph. prol. 45 *meus pater, deorum regnator, architectust omnibus.*

rex. Capt. 622 *at ita me rex deorum atque hominum faxit patriae conpotem.*

spectatrix. Merc. 842 *diuom atque hominum quae spectatrix atque era eadem es hominibus.*

His accedunt ii genetivi, qui quasi pro dativo poni videntur.

aduersarius. Rud. 761 *Volcanum adducam: is Venerist aduorsarius; Venerist* secundum A edidit Schoell *(Veneri* Bentlei); ceteri codices *Veneris* habent (cfr. infra *sodalis).*

amicus. Most. 980 *patris amicu's uidelicet;* Merc. 535 *amicum te scio esse illius;* Pseud. 584 *inimicum ego hunc communem meum atque uostrorum omnium Ballionem exballistabo lepide.*

amica. Curc. 593 *mulierem peiorem quam haec amicast Phaedromi non uidi;* Epid. arg. 3; ib. 702, 704; Merc.

---

[1]) Cfr. Neue I p. 190 sq., et supra suff. *-i.*

688; ib. 974; Mil. 105[1]); Rud. 351; Poen. 266 *an te ibi uis inter istas uorsarier prosedas, pistorum amicas;* Bacch. 367 *filio hanc fabricam dabo super auro amicaque eius inuenta Bacchide.* Hic adferam

lepos. Curc. 98 *salue, animule mi, Liberi lepos.*

uoluptas, mel, colustra, cet. Poen. 387 sqq. *huius uoluptas, te opsecro, huius mel, huius cor, huius labellum, huius lingua, huius sauium, huius delicia, huius salus amoena, huius festiuitas, huius colustra, huius dulciculus caseus, mastigia* etc. — *uoluptas huius atque odium meum, huius amica mammeata, mea inimica et maleuola, oculus huius, lippitudo mea, mel huius, fel meum.*

deliciae. Most. 15 *tu urbanus uero scurra, deliciae popli, rus mihi tu obiectas;* Pseud. 227 *Phoenicium, tibi ego haec loquor, deliciae summatum uirum.*

inimicus. Poen. 1091 *inimicus herclest huius*[2]).

ciuis. Rud. prol. 42 *adulescens quidam ciuis huius Atticus eam uidit ire e ludo fidicini domum;* hoc loco *huius* prorsus idem valere atque *hinc* in Epid. 602 *hinc Athenis civis eam emit Atticus* similibusque exemplis contendit Bell[3]).

comes. Rud. 160 *sed o Palaemon, sancte Neptuni comes.*

familiaris. Amph. 359 *me esse huius familiai familiarem praedico.*

sodalis. Bacch. 176 *sodalem uiderim Mnesilochi Pistoclerum;* ib. 453; Most. arg. 11; ib. 1120; Capt. 528 *is sodalis Philocrati et cognatus est;* aut genetivus (cfr. *Achilli* Bacch. 938), aut dativus potest esse (cfr. Most. 1154 *sodalem me esse scis gnato tuo;* cet., v. Brixii adn. ad Capt. 528). Merc. 995 *sodalis eius es.*

socius. Amph. 384 *Amphitruonis socium me esse uolui dicere;* Rud. 161 *qui aerumnae Herculeae socius esse diceris* edidit Schoell, quod pro dativo haberi potest (cfr. tamen

---

[1]) Mil. 263 *amica eri* ediderat Ritschl; *erili* scripserunt Brix et Goetz.

[2]) Truc. 230 *si qui rei inimicust suae* pro dativo habeo.

[3]) De loc. in prisc. latinitate vi et usu p. 40.

Bacch. 1105 *socium aerumnae* genet. copiae); *Herculis*, quod est in B, retinuit Ussing, sed versum mutilatum seclusit.

uicinus. Rud. 849 *nescioquis senex, uicinus Veneris, is dedit operam optumam; Veneris,* h. e. aedi Veneris (Holtze I p. 10). Merc. 676 *aliquid cedo qui aram hanc uicini nostrarum aedium augeam* (de Apolline intellegitur; v. Ussingii comment.).

Sequuntur ii genetivi, quibus unde quis sit, ubi sit, cuius officiis fungatur, cet., exprimitur.

atriensis. Pseud. arg. II, 11 *hunc adgreditur Pseudolus tamquam lenonis atriensis;* Asin. 393 *si sit domi dicam tibi. — quid? eius atriensis?*

ancilla. Stich. 238 *Epignomi ancillast;* Merc. arg. II, 2 *is peregre missus redimit ancillam hospitis;* Stich. 432 *amicam habeo Stephanium hinc ex proxumo tui fratris ancillam.*

ancillula. Mil. 987 *ancillula illius est quae hinc egreditur foras;* Mil. 1133 *nunc ad me ut ueniat usust Acroteleutium ancillula eius.*

calator. Rud. 335 *estne hic Trachalio quem conspicor, calator Plesidippi.*

cluens. Capt. 335 *pol is quidem huius est cluens.*

libertus. Curc. 413 *libertus illius* (sc. est.).

nuntius. Stich. 274 *Mercurius, Iouis qui nuntius perhibetur.*

parasitus. Bacch. 573 *ego sum parasitus hominis nequam atque inprobi, militis qui* cet.; ib. 631; Men. 222 *ego et Menaechmus et parasitus eius.*

peculiaris. Pers. 201 *Sophoclidisca haec est peculiaris eius.*

pedisequa. Aul. 807 *spatium ei dabo exquirendi meum factum ex gnatae pedisequa nutrice anu.*

puer (= servus). Pers. 271 *set eccum puerum Toxili;* Stich. 270 *sed eccum Pinacium eius puerum.*

seruos. Amph. 347 *mei eri sum seruos;* Mil. arg. II, 4 *seruos Attici* [1]) *ut nuntiaret domino factum;* Trin. 1120; Amph.

[1]) De *Attici* v. Brixii adn.

167 *hoc magis miser est diuitis seruos* (suspect.); ib. 148 *Amphitruonis illic seruost Sosia;* ib. 394, 403; Aul. arg. I, 10 *insidias seruos facit huius Lyconidis;* Mil. 487 *me ... feminam uicini rentur esse serui militis;* Most. 560 *sed Philolachetis eccum seruom Tranium;* Poen. 822; Pseud. arg. II, 10; ib. 752; ib. 1210; Cas. 735 *quoius tu seruo's;* Men. 1071 *ego quidem huius seruos sum, sed med esse huius credidi;* Pseud. 1091 *em illius seruos huc ad me argentum attulit;* ib. 1169; Asin. 345 *me eius seruom praedico;* Pseud. 617; ib. 718; Rud. 1200; Amph. 356 *horunc sum seruos.*

seruolus. Aul. arg. II, 7 *conpressoris seruolus id surpit.*

conseruos. Stich. 433 *symbolam ad cenam ad eius conseruom Sagarinum feram.*

Nonnullis locis pro servo nomen proprium per se ponitur.

Curc. 230 *estne hic Palinurus Phaedromi;* Amph. 378 *quoius es? Amphitruonis inquam Sosia;* ib. 383 *Amphitruonis te esse aiebas Sosiam;* ib. 411 *equidem Sosia Amphitruonis sum;* Pseud. arg. I, 5 *dicens Syrum se Ballionis Pseudolus;* ib. 607 *ego eius sum Subballio.*

tonstrix. Truc. 772 *uideo senem ancillas duas constrictas ducere, alteram eccam tonstricem huius alteram ancillam suam.*

uilicus. Poen. 779 *nam istest huius uilicus.*

concubina. Mil. 362 *eri concubinast haec quidem;* Mil. 937 *ut concubinam militis meus hospes habeat.*

meretrix. Poen. 155 *lenonis huius meretricem maiusculam* (sc. dico).

prostibulum. Aul. 285 *pudicum prostibulum popli.*

scortum. Merc. arg. II, 11 *eam domi deprensam coniunx illius uicini scortum insimulat;* Poen. 270 *an te ibi uis inter istas uorsarier ... seruolorum sordidulorum scorta diobolaria.*

famula. Rud. 285 *ego huius fani famula et sacerdos clueo.*

magister. Aul. 107 *noster nostrae quist magister curiae* Bacch. 404 *uideo incedere patrem sodalis et magistrum.*

moechus. Mil. 775 *erus meus ita magnus moechus mulierumst.*

oratores. Stich. 490 *ei oratores sunt populi summi uiri;* b. 492. — Adiungo

uir. Pers. 418 *uir summe populi.*

lux. Stich. 618 *o lux oppidi.*

praefectus. Bacch. 427 *haud mediocris gymna sipraefecto poenas penderes.*

sacerdos. Bacch. 307 *qui illic sacerdos est Dianai Ephesiae;* Rud. 433 *haec sacerdos Veneris hinc me petere aquam iussit* (v. supra *famula*).

di penates, Lar pater. Merc. 834 *di penates meum parentum, familiai Lar pater, uobis mando, ut* cet.

bellator. Truc. 615 *si tu Bellonae bellator clues, at ego Culinae clueo;* sic Schoell. Sed propius ad codicum lectionem *(uellegionem, inculina)* accedunt Ussing aliique *ad legionem* et *in culina* scribentes.

copiae, exercitus. Amph. 246 *proterunt hostium copias;* Asin. 554 *eae nunc legiones, copiae exercitusque eorum ui pugnando, periuriis nostris fugae potiti.*

legiones. Amph. 136 *legiones hostium ut fugauerit;* ib. 414 *legiones Teleboarum ui pugnando cepimus;* Mil. 17 *quoius tu legiones difflauisti spiritu.*

familia. Amph. prol. 47 *ambo illos dementiae conplebo atque Amphitruonis omnem familiam;* Pers. 213; Poen. 803; Amph. 874 *in horum familiam hodie frustrationem iniciam maxumam.*

populus. Cas. prol. 72 (*id fieri*) *in Apuliae poplo.*

publicum. Truc. 141 *an tu te Veneris publicum aut Amoris alia lege habere posse postulas.*

Verus usus genetivi possessivi in bonis atque possessionibus alicuius indicandis positus est. Et primum quidem animalium nominibus apponitur, ut significet, quorum in possessione sint.

aries. Bacch. 242 *quem quidem ego hodie faciam hic arietem Phrixi* (de sententia v. Ussingii comment.).

ouis. Truc. 657 *nam ouis illius hau longe absunt a lupis.*

pecus. Pseud. 834 *haec ad Neptuni pecudes condimenta sunt.*

petro. Capt. 821 *eorum*[1]) *ego si in uia petronem publica conspexero.*

scrofa. Capt. 809 *eorum si ego quoiusquam scrofam in publico conspexero.*

Tum genetivus possessivus ponitur, ut significet, cuius in possessione sint eae res, de quibus agitur; quod quamquam de personis proprie dicitur, tamen res ipsae quasi possidentes saepe inducuntur.

aedes. Asin. 435 *neque eo esse seruom in aedibus eri;* Most. arg. 9 *requirit quae sint* (sc. aedes): *ait uicini proxumi;* Bacch. 312 *quin in eapse aede Dianai conditumst;* ib. 901 *hinc abiit aedem uisere Mineruae;* Curc. 39 *lenonis haec sunt aedes;* ib. 481; Poen. 190 *ego in aedem Veneris eo;* ib. 264, 318, 333, 339, 847, 1132; Men. 816 *si ego intra aedis huius umquam penetraui pedem;* Mil. 1278; Most. 664 *eius emisse aedis huius dicam filium;* Bacch. 578 *quae harunc sunt aedes, pulta;* Pseud. 469 *fac sis uociuas, Pseudole, aedis aurium* pro „auribus" dicitur.

angulus. Aul. 438 *quine angulos omnis mearum aedium et conclauium mihi peruium facitis.*

clauis. Most. 404 *clauem mi harunc aedium Laconicam iam iube ecferri.*

domus. Mil. arg. I, 14 *ipse in domo senis prehensus poenas pro moecho luit.*

fores. Mil. 410 *sed fores uicini proxumi crepuerunt;* Curc. 71 *ara Veneris haec est ante horunc foris;* Most. 1046 *ostium, quod in angiportust eius*[2]) *patefeci foris.*

ianua. Bacch. 368 *pandite atque aperite propere ianuam hanc Orci.*

---

[1]) *eorum* Brix; libri *eum.*

[2]) *eius* pro librorum *horti* Lorenz.

limen. Bacch. 955 *quom portae Phrygiae limen superum scinderetur.*

ludus. Rud. prol. 43 *eam uidit ire e ludo fidicini* [1]) *domum.*

ostium. Curc. 15 *huic proximum illud est oculissumum ostium amicae;* Pseud. 131 *ostium lenonis crepuit;* ib. 951 *ubist lenonis ostium* [2]); Trin. 525 *Accheruntis ostium in nostrost agro;* Stich. 450 *est etiam hic ostium aliud posticum nostrarum harunc aedium.*

tectum. Rud. prol. 78 *quoius deturbauit uentus tectum et tegulas* (suspect.).

tegula. Mil. 284 *simiam hodie sum sectatus nostram in horum tegulis.*

fanum. Curc. 14 *hoc Aesculapi fanumst;* ib. 62; Aul. 583 *ut ted auferam, aula, in Fidei fanum;* Aul. 617 *se aulam onustam auri abstrusisse hic intus in fano Fide* [3]); Rud. prol. 61 *id hic est Veneris fanum;* ib. 94, 128, 284, 308, 331, 386, 560, 564, 570, 586, 613, 622, 644, 690; ib. 822 *iam hoc Herculist* [4]), *modo Veneris fanum quod fuit;* ib. 865, 1286.

sacrum. Curc. 471 *qui periurium conuenire uolt hominem, ito in comitium: qui mendacem, apud Cloacinae sacrum.* — Adiunguntur

ara. Merc. 676 *aliquid cedo qui aram hanc uicini nostrarum aedium augeam;* Curc. 71 *nunc ara Veneris haec est;* Rud. 723, 840, 1333.

columen. Cas. 536 *sed eccum huc egreditur senati columen;* Epid. 189 *senati qui columen cluent;* Amph. 367 *ne tu aduenisti, audaciai columen.*

solium. Trin. 940 *ad caput amnis, quo ad e caelo ex-*

---

[1]) *fidicini* scripsit Schoell pro librorum *fidicinio.*

[2]) *os lenonis aedium* adfert Loch (p. 6) ex emendatione Brixii et Ritschelii, quae a codicum scriptura non longe distat.

[3]) De forma v. supra suff. *-e* (libri praebent *fidei*).

[4]) *herculi est* BCDF, *herculis est* Z; dativum statuit Brix ad Capt. 528, sed genetivus est propter sequentem genetivum *Veneris.*

oritur sub solio Iouis; ib. 941 *sub solio Iouis?* — Locorum possessio eis exemplis exprimitur, qui infra sequuntur:

angiportum. Cist. 386 *quae, quasi carnuficis angiporta purgitent.*

fundus. Pseud. 228 *nisi ex fundis tuorum amicorum omne huc penus adfertur.*

insula. Trin. 549 *sicut fortunatorum memorant insulas.*

locus. Men. 1014 *face ut oculi locus in capite appareat;* Rud. 205 *ita hic solis* [1]) *solis locis conpotita.*

lucus. Aul. 674 *Siluani lucus extra murumst auius;* ib. 766.

regio, cet. Mil. 886 *ego multos saepe uidi regionem fugere consili prius quam repertam haberent;* ib. 233 *dum in regionem astutiarum mearum te induco;* Poen. prol. 48 *eius* (sc. argumenti) *nunc regiones, limites, confinia determinabo.*

saltus. Men. 988 *neque uirum ex hoc saltu damni saluom ut educam foras.*

terminus. Asin. 139 *pol te redigam eodem unde orta's, ad egestatis terminos.*

uia. Cas. 159 *flagiti persequentem uiam* [2]); Truc. 304 *qua is hoc ad uos damni permensust uiam;* Pers. 1 *qui amans egens ingressus est princeps amoris in vias;* Trin. 666 *amoris teneo omnis uias;* Curc. 296 *isti qui ludunt datatim serui scurrarum in uia.*

bustum. Bacch. 938 *non in busto Achilli, sed in lecto accubat.*

sepulcrum. Epid. 175 *quoius quotiens sepulcrum uides.*

oppidum. Amph. 210 *sese eorum oppidum oppugnassere.*

Pergamus. Bacch. 926 *quom Priami patriam Pergamum armis . . . subegerunt.* — Adiungitur

ciuitas. Rud. prol. 2 *sum ciuis ciuitate caelitum;* Pers. 420 *pristinorum ciuitas* (convicia servus et leno alter in alterum congerunt).

---

[1]) *solis* (vel *lucis*) Schoell.

[2]) *uiam* addidit Schoell (v. sub genet. obiectivo participia).

Tum genetivus possessivus apponitur his substantivis:

celox. Mil. 986 *haec celox illiust.*

nauis. Rud. prol. 66 *illorum nauis longe in altum abscesserat.*

quadrigae. Amph. 450 *quadrigas si nunc inscendas Iouis.*

rota. Cist. 204 *uorsor in amoris rota miser.*

ballista. Poen. 201 *quoi iam infortuni intenta ballistast probe.*

cistellula. Rud. 1079 *sed isti inest cistellula huius mulieris.*

urna. Rud. 473 *si hanc hinc abstulerit quispiam sacram urnam Veneris.*

uidulus. Rud. 1091 *si quidem hic lenonis eiust uidulus;* ib. 1317 *profecto huius istest uidulus;* ib. 1094 *si scelesti illius est hic quoius dico uidulus;* ib. 1066 *hic eius uidulum eccillum sublectum habet.*

crepundia. Rud. arg. 2 *ubi erant erilis filiae crepundia.*

De vestimentis ubi agitur ceterisque rebus, quas secum portant homines, genetivus possessorem significat.

induuiae, exuuiae. Men. 191 *induuiae tuae atque uxoris exuuiae, rosa.*

ornamentum. Amph. 85 *eius ornamenta et corium uti conciderent.*

ornatus. Poen. 283 *heu ecastor, quom ornatum aspicio nostrum ambarum paenitet.* — Adiungo

decus. Asin. 655 *di te seruassint, decus populi;* ib. 892 *ut ausculatur carnufex, capuli decus;* ib. 691 *mi Libane, donum decusque amoris;* qui genetivis obiectivis nonnihil similes sunt.

palla. Men. 398 *pallam te hodie mihi dedisse uxoris.*

pallium. Bacch. 434 *tam maculosum quamst nutricis pallium.*

uestis, fartum. Most. 169 *non uestem amantes mulieris amant, sed uestis fartum;* posterior genetivus obiectivi speciem prae se fert („was im Kleide steckt" Brix).

concha. Rud. 704 *te ex concha natam autumant caue*

tu harum conchas spernas, quod de veris conchis aliaque maris illuvie intellegendum esse Ussing contendit vv. 690 et 261 sqq. proferens; naturam muliebrem alii intellegi volunt·

aliquid pronomen uno loco genetivum possessivum adscivit. Men. 190 *interim nequis quin eius aliquid indutus sies* [1]).

anulum. Bacch. 327 *anulum gnati tui facito ut memineris ferre;* Mil. 960 *eius hunc mi anulum ad te ancilla porro ut deferrem dedit.*

arma. Epid. 29 *ubi arma sunt Stratippocli.*

clauus. Asin. 156 *fixus hic apud nos est animus tuos clauo cupidinis.*

culter. Epid. 185 *cultrum habeo senis.*

machaera. Pseud. 1181 *conueniebatne in uaginam tuam machaera militis.*

signum. Amph. 421 *Amphitruonis obsignata signo;* Curc. arg. 4 *cognoscit signum Lyco, ubi vidit, militis.* Paulo aliter se habent Trin. 789 *anuli paterni signum nouisse;* Rud. 648 *Veneris signum sunt amplexae,* quoniam non eadem est notio vocis *signum* (cfr. infra *ecfigia*). — Adiunguntur

cibus. Capt. 806 *uae misero illi quoius cibo iste factust imperiosior.*

pabulum. Cas. 158 et 160 *ut est dignus, uitam colat, Accheruntis pabulum.*

uesper. Rud. 181 *si tu de illarum cenaturus uesperi's.*

supellex. Men. 404 *quasi supellex pellionist: palus palo proxumust.*

Substantiva *bona, divitiae,* cet. genetivum possessivum regunt:

aurum, argentum. Bacch. 944 *exlecebra fiet hic equos hodie auro senis;* Rud. 396 *et aurum et argentum fuit lenonis omne ibidem.*

bona. Rud. 199 *em haec eius sunt bonum relliquiae;*

---

[1]) Truc. 109 *et pars spectatorum scis tis spoliis me haud mentiri;* sic paulo obscurius scripsit Schoell (*tis* genet.?).

Truc. 112 *ipsi uident quom eorum adgredimur bona;* Mil. 1350 *mea, non illorum dedi;* quo loco *bona* intelleguntur.

copia. Epid. 385 *qui perspicere possent . . . cordis copiam;* tralato sensu dicitur. — Item

cornu. Pseud. 671 *nam haec allata cornu copiaest.*

diuitiae. Aul. 701 *Pici diuitiis qui aureos montes colunt ego solus supero;* Men. 217 *neque hodie, ut te perdam, mereani deorum diuitias mihi*[1]).

fortunae. Rud. 185 *nimio hominum fortunae minus miserae memorantur.*

montes. Stich. 24 *neque ille sibi mereat Persarum montis.*

opes. Poen. 1177 *neque contempsi eius opes hodie;* Amph. 1053 *spes atque opes uitae meae iacent.*

pecunia. Truc. 80 *quod amantis multo pessumumst pecuniae.*

thensaurus. Pseud. 628 *si supremi promptas thensauros Iouis.*

dos. Merc. 239 *dicit capram suae uxoris dotem ambedisse;* Merc. 241 *ut una illaec capra uxoris simiai dotem ambederit.*

praeda. Stich. 220 *praeda erit praesentium.*

res vario sensu cum genetivo ponitur. Men. 968 *ut absente ero tam rem eri diligenter tutetur;* Most. 28 *ut eri sui corrumpat et rem et filium;* Trin. 1113 *ob rem et liberos apsentis mei eri eum ego cepisse censeo* (coni. Ritschelii); Merc. 43 *ilico res exulatum ad illam clam abibat patris;* ib. 835 *meum parentum rem bene ut tutemini;* Trin. 108 *hic eius rem confregit filius;* ib. 733 *quom eius rem penes me habeam domi;* Merc. 50 *lacerari suam rem, illorum augerier.* Alia inest significatio in his exemplis: Bacch. 212 *num inuitus rem bene gestam audis eri;* Bacch. 477 *itane oportet rem mandatam gerere amici sedulo;* Mil. 951 *quin tu tuam rem cura potius, quam Seleuci;* Epid. 422 *res amici*

---

1) Trin. 358 *quoii egestatem tolerare uis* pro *cuius* recte emendavit Ritschl propter dativum versus sequentis: *Lesbonico Charmidai filio.*

agitur; Poen. 524 *in re populi placida non decet tumultuari;* Asin. 224 *haud id est ab re aucupis;* Pers. 342 *utrum hercle magis in uentris rem uidebitur;* Stich. 8 *loqui de re nostra et uirum;* ib. 129 *quarum res agitur;* Pseud. 626 *qui res rationesque eri Ballionis curo;* Amph. prol. 4 *res rationesque uostrorum omnium bene expedire uoltis.*

His adiunguntur:

causa. Asin. 520 *omnis familiae causa consistit tibi;* Truc. 229 *nunquam amatoris meretricem oportet causam noscere.*

condicio. Aul. 476 *narraui consilium meum de condicione hac Euclionis filiae.*

ordo. Trin. 451 *mearum me rerum nouisse aequomst ordinem* [1]).

incommodum. Capt. 146 *alienus quom eius incommodum tam aegre feras.*

malum. Capt. 151 *laudo malum quom amici tuom ducis malum;* Poen. 1367 *ut festum diem habeamus hunc huius malo et nostro bono.*

salus. Merc. 824 *sua quidem salute ac familiai maxuma* (sc. mater rure rediit); Rud. 910 *quom med ex suis pulcre ornatum expediuit templis redducem, pluruma praeda onustum salute horiae;* Capt. 518 *hic illest dies quom nulla uitae meae salus sperabilist;* Asin. 656 *di te seruassint salus interioris corporis amorisque inperator;* Men. 134 *auorti praedam ab hostibus nostrum salute socium* [2]) (v. praeterea *uoluptas*).

flos. Cas. 640 *nisi haec meraco se uspiam percussit flore Liberi;* Cist. 122 *quiaque adeo me conpleui flore Liberi;* Curc. 96 *flos ueteris uini meis naribus obiectust;* Cas. 17 *ea tempestate flos poetarum fuit.*

***loream.** Mil. 883 *postquam adbibere aures meae tuae loream* [3]) *orationis.*

---

[1]) Most. 307 *numquam eorum quisquam inuideat prorsus commodis;* Plautinum non esse probavit Langen (Beitr. p. 254 sq.).

[2]) De hac genetivi forma v. supra suff. *-um* (p. 9).

[3]) Codices praebent *moram; loream* coniecit Ritschl, alii alia.

Deinde genetivo possessivo auctor significatur.

comoedia. Cas. prol. 13 *antiquam eius edimus comoediam.*

Nonnullis locis nomen proprium per se ponitur (cfr. supra *seruos*): Poen. prol. 1 *Achillem Aristarchi mihi commentari lubet;* Rud. 86 *non uentus fuit, uerum Alcumena Euripidi;* Merc. 5 *graece haec uocatur Emporos Philemonis;* ib. 6 *latine Mercator Macci Titi* (sc. uocatur).

tela. Stich. 349 *deiciamque eorum omneis telas.* — His subiungo

lex. Poen. 725 *rem aduorsus populi fierei leges;* Trin. 1146 *a me lege populi patrium posceret* (sc. thensaurum); Asin. 601 *qui sese parere adparent huius legibus.*

Tum partes corporis vel animi humani et quae in plantis aliisque rebus ex simili sensu nomina acquisiverunt, si cuius sint dicitur, genetivus possessivus adhibetur.

articulus. Men. 140 *commoditatis omnis articulos scio.*

auris. Epid. 447 *pugnis memorandis meis eradicabam hominum aureis;* Pers. 182 *eius aureis, quae sunt mandata, onerabo* (cfr. *oculus*).

caput. Trin. 940 *ad caput amnis* (sc. aduecti sumus); Most. 244 *pro illius capite quod dedi* (suspect.); Pers. 36 *(nummos), quos pro capite illius pendam.* — Pseud. 132 *ipse egreditur intus, periuri caput;* Rud. 1099; Bacch. 829 *dic scelerum caput;* Curc. 234; Mil. 494; Pseud. 446; ib. 1054; Rud. 1098.

cor. Poen. 388 *huius cor* (v. supra *uoluptas*).

corium. Mil. 236 *erus meus elephanti corio circumtentust, non suo;* Most. 1067 *quoius ego ludificabor corium;* Amph. prol. 85 *eius ornamenta et corium uti conciderent.*

corpus. Amph. 1135 *Alcumenae usuram corporis cepi;* Men. 181 *satin ut occaecatust prae huius corporis candoribus;* Mil. 997 *quae huius cupiens corporist;* Bacch. 601 *illius sum integumentum corporis;* Amph. prol. 108 *usuramque eius corporis cepit.*

foculum. Pers. 04 *iam intus uentris fumant focula.*

labellum. Poen. 388 *huius labellum* (v. supra *uoluptas*).

lingua. Truc. 492 *quoius lingua gladiorum aciem praestringit domi* (libri *quorum*). (De Poen. 388 *huius lingua* v. supra *uoluptas*).

manus. Bacch. 737 *celerem oportet esse amatoris manum;* Trin. 965 *Philippum numeratum illius in mensa manu, mille nummum.*

medulla. Stich. 341 *quoi misero medullam uentris percepit fames.*

membra, cet. Men. 855 *mihi imperas, ut ego huius membra atque ossa atque artua comminuam.*

oculus. Poen. 316 *ut quidem tu huius oculos inlutis manibus tractes aut teras;* Pseud. 857 *tum ut huius oculos in oculis habeas tuis;* Mil. 589 *nam illius oculi atque aures atque opinio transfugere ad nos;* Asin. 908 *nunc in oculos eius inuadi optumumst;* Mil. 1234 *ne oculi ilico eius sententiam mutent.*

* **papilla.** Bacch. 480 *manus ferat ad eius* [1] *papillas.*

pectus. Stich. 85 *earum perpauefaciam pectora.*

sanguis. Bacch. 372 *quae hominum sorbent sanguinem;* Epid. 188 *eorum exsugebo sanguinem.*

tergum. Amph. 589 *quoius ego hodie in tergum faxo ista expetant mendacia;* Most. 883 *postremo minoris pendo tergum illorum quam meum.* — Alia forma eiusdem verbi est

tegus. Cas. 847 *mollis aeque atque huius est tegus.*

folium. Cist. 561 *quae in pampini folio intorta inplicat se;* Poen. 478 *eo praesternebant folia farferi.*

radix. Curc. 238 *radices cordis pereunt.*

uirga. Merc. 677 *da sane hanc uirgam lauri.*

anima. Asin. 893 *edepol animam suauiorem aliquanto quam uxoris meae;* ib. 894, 928; Bacch. 869 *iam illorum ego animam amborum exsorbebo oppido.*

animus. Men. 443 *qui domini animo postulem moderarier;* Most. 544 *nihil est miserius, quam animus hominis conscius;* Men. 355 *munditia inlecebra animost amantum;* Bacch 494

---

[1]) *eius* addidit Schoell.

ut illius animum atque ingenium regas; Stich. 2[b] *nos eius animum de nostris factis noscimus;* Aul. 487 *quorum animis auidis neque lex neque rumor capere est qui possit modum* (v. genet. subiect. *factum*).

indoles. Mil. 921 *noui indolem nostri ingeni.* Paulo aliter est Trin. 323 *in eost indoles industriae* (suspect.).

ingenium. Bacch. 276 *ingenium auidi haud pernoram hospitis;* Mil. 639 *aegre amantis ingenium inspicit;* Poen. 1198 *ingenium patris habet;* Capt. 419 *di uostram fidem, hominum ingenium liberale;* Pers. 261 *quoius ingenium nouerat;* Asin. 81 *me habere honorem eius ingenio decet;* Capt. 350; Poen. 1404; Trin. 1049 *eorum ex ingenio ingenium horum probant;* Stich. 126 *temptaui uostrum ingenium ingeni* [1]) (v. *animus*).

mens. Amph. 1044 *perturbauit familiae mentem meae;* Cist. 205 *ita nubilam mentem animi habeo;* Epid. 530 *pauor territat mentem animi* (de *mens animi* cfr. Loch p. 26 not.).

facies. Amph. arg. I, 1 *in faciem uorsus Amphitruonis Iuppiter Alcmenam uxorem cepit usurariam;* Merc. 622 *hominis quae facies foret;* ib. 637; Pseud. 964; Trin. 852; ib. 861; Pseud. 142 *faciem quom aspicias eorum.*

os. Mil. 30 *perque os elephanti transmineret bracchium;* Men. 848 *pugnis me uotas in huius ore quicquam parcere.*

uoltus. Capt. 106 *quoius numquam uoltum tranquillaui gratiis;* Merc. 599 *uoltus neutiquam huius placet.*

species. Pers. 550 *urbis speciem uidi.*

ecfigia. Rud. 421 *Veneris ecfigia haec quidemst.* Huic genetivo subiungo

exemplum. Pseud. 651 *hic quoque exemplum reliquit eius* (sc. imaginis).

imago. Pseud. 1202 *mei eri imagine obsignatam epistulam* (cfr. *signum*); Cas. 515 *nunc amicine anne inimici sis imago;* Amph. prol. 124 *ego serui sumpsi Sociae mihi imaginem;* ib. prol. 121 *in Amphitruonis uortit esse ima-*

---

[1]) De hoc dicendi genere cfr. Holtze I p. 8 et Ussingii comment.

ginem; Mil. 150 *haec duarum hodie uicem et hinc et illinc mulier feret imaginem;* Amph. prol. 141 *quoius ego fero hanc imaginem;* Amph. 265 *quando imagost huius in me;* Capt. prol. 39 *huius ille, hic illius hodie fert imaginem.*

forma. Mil. 777 *Alexandri praestare praedicat formae suam;* Amph. arg. I, 4 *Mercurius formam Sosiae serui gerit absentis;* ib. arg. II, 2; Rud. prol. 51 *is illius laudare infit formam uirginis et aliarum* cet.; ib. 266 *quoniam formam cepi huius in med et statum* [1]. Mil. 1172 *formae amoenitatem illius, faciem pulcritudinem conlaudato;* ib. 1170; Asin. 402 *describere eius formam.*

habitus. Amph. arg. II, 4 *habitu Mercurius ei subseruit Sosiae.*

status. Pseud. 458 *statum uide hominis quam basilicum* (v. *forma).*

umbra. Mil. 625 *umbra's amantum magis quam amator.*

Temporis notio nominibus inest, quae regunt genetivum, his:

aetas. Aul. 159 *mulieris est aetas media;* Amph. 938 *in hominum aetate multa eueniunt;* ib. 634 *ita quoiquest in aetate hominum conparatum* (v. genet. partit. *quisque*); Rud. 1235 *o Gripe, Gripe in aetate hominum plurumae fiunt trasennae.*

uita. Cas. 679 *neque uiri uitam sinere in diem crastinum protolli;* Asin. 886 *non edepol conduci possum uita uxoris annua;* Cas. 659 *interimere eius ait uelle uitam.*

adulescentia. Most. 1157 *adulescentiaeque ut eius ignoscas.*

dies. Men. 585 *iuris ubi dicitur dies* i. e. d i e s q u o i u s d i c i t u r a p r a e t o r e (Brix). Asin. 311 *omnes de nobis carnuficum concelebrabuntur dies;* Poen. 1133 *Aphrodisia hodie Veneris est festus dies.*

nuptiae. Aul. 295 *hic non poterat de suo senex obsonari filiai nuptiis;* ib. 372, 540, 797; ib. 387 *ut fortunatas faciat gnatae nuptias.*

---

[1]) Mil. 1327 ***formam huius mores uirtus hic animum attinere hic tuum*** (susp.)

uigiliae. Aul. 36 *qui illam stuprauit noctu, Cereris uigiliis;* ib. 795.

nox. Asin. 736 *noctem huius et cenam sibi ut dares;* Poen. 274 *quoius ego hercle nebulae cyatho septem noctis non emam.* His subiungo

concubium. Trin. 886 *concubium sit noctis.*

tempus. Trin. 811 *denique diei tempus non uides.*

nomen. Men. arg. 3 *nomen surrupti dein illi indit, qui domist;* Most. 661 *nomen domini quaero quid siet;* Cas. prol. 30 *comoediai nomen dare uobis uolo;* Mil. 84; Poen. prol. 51; Asin. prol. 7 *ut sciretis nomen huius fabulae;* Poen. 1063 *patris atque matris memini* (sc. nomina); Rud. 1157; ib. 1159, 1163; Trin. 919; Epid. 637 *qui meum parentum nomen memoras et meum;* Poen. 1062; Bacch. 124 *qui tantus natu deorum nescias nomina;* Men. 1135 *quod haec te meretrix huius uocabat nomine;* Men. prol. 42 *illius nomen indit illi qui domist;* ib. prol. 45; Bacch. 284 *quom mi ipsum nomen eius Archidemides clamaret dempturum esse, si quid crederem;* Bacch. 559 *uideo non potesse, quin tibi eius nomen eloquar;* ib. 284; Pseud. 986; Rud. prol. 15 *eorum referimus nomina exscripta ad Iouem;* Poen. 1139 *hodie earum mutarentur nomina.*

uox. Cist. 369 *audire uocem uisa sum ante aedis modo mei Lampadisci serui;* Aul. 811 *uocem hic loquentis mi audire uisus sum;* Trin. 46 sq. *tui beneuolentis* (sc. uox sonat), *si ita's ut ego te uolo:* (47) *sin aliter es, inimici atque irati tibi;* Rud. 259 *nam uox me precantum huc foras excitauit.*

Tum genetivi possessivi esse videntur hi:

argumentum. Mil. 84 *comoediai . . . et argumentum et nomen uobis eloquar;* Amph. prol. 51 *post argumentum huius eloquar tragoediae;* ib. prol. 96; Trin. prol. 16 [1]).

radius. Mil. 2 *clarior, quam solis radii esse olim solent.*

relliquiae. Rud. 199 *em haec eius sunt bonum relliquiae.*

---

[1]) Most. 92 *ei rei argumenta dico* dativus est (cfr. ib. 118 *haec argumenta ego aedificiis dixi*). Similiter de Trin. 915 *C est principium nomini* iudico, quamquam in tertia declinatione genetivi *-s* nonnumquam omittitur (v. suff. *-i*).

sinus. Stich. 591 *in sinu tunicae nihil est.*

syllaba. Epid. 123 *prius quam argenti fuero elocutus ei postremam syllabam.*

uestigium. Cist. 530 *hac socci uideo uestigium in puluere.*

Permulta substantiva, quibus qualitas quaedam exprimitur, genetivum possessivum adsciscunt, ut qualis quis vel quid sit indicent. Nonnulla huiusmodi substantiva cum simul verbalem notionem in se contineant, similitudinem genetivi subiectivi huic genetivo adferunt.

acies. Epid. 547 *orationis aciem contra conferam;* Mil. 4 *conserta manu praestringat oculorum aciem;* Truc. 492 [1]).

albitudo. Trin. 873 *alterum ad istanc capitis albitudinem* (sc. quaero).

amicitia. Trin. 737 *facere id eius ob amicitiam patris.*

amoenitas. Mil. 1172 *formae amoenitatem illius ... conlaudato;* Stich. 278 *amoenitates omnium uenerum et uenustatum adfero.*

audacia. Men. 713 *o hominis inpudentem audaciam* (v. *auaritia).*

auaritia. Pseud. 802 *hominum auaritia factus sum improbior;* Capt. 287 *immo edepol propter auaritiam ipsius atque audaciam.*

benignitas, prothymia. Mil. 634 *nam benignitas quidem huius oppido adulescentulist;* Stich. 50 *mihi grata acceptaque huiust benignitas;* Stich. 636 *benignitates hominum ut periere et prothymiae.*

bonitas. Capt. 245 *per mei te erga bonitatem patris* (sc. te oro).

candor. Men. 181 *satin ut occaecatust prae huius corporis candoribus.*

dignitas. Bacch. 131 *satis ut commode pro dignitate opsoni haec concuret coquos.*

---

[1]) Truc. 406 *quae mergi aciem in sese habet* edidit Schoell, Ussing *quae mercede sese habet.* Codicum scriptura corrupta est.

dolus. Pseud. 1244 *superauit dolum Troianum atque Ulixem Pseudolus;* sed fortasse adiectivum est *Troianum* v. supra suff. *-um*).

duritia. Pseud. 151 *uincitis duritia tergi.*

elegantia. Mil. 1235 *atque eius elegantia meam extemplo speciem spernat.*

fides. Men. 575 *cluentum fides quoiusmodi clueat;* Curc. 694 *pro deum atque hominum fidem;* Epid. 580; Men. 1053; Aul. 299 *diuom atque hominum clamat fidem;* Trin. 1126 *quoius*[1]) *fides fidelitasque amicum erga aequiperet tuam;* Capt. 349 *huius experiar fidem* (v. genet. subiect. *factum*).

firmitudo. Asin. 320 *si istanc animi firmitudinem optines.*

gloria. Trin. 656 *ut rem patriam et gloriam maiorum foedarim meum;* Truc. 889 *ita sunt gloriae meretricum.*

gratia. Bacch. 558 *nequam hominis ergo parui pendo gratiam;* Aul. 247 *si opulentus it petitum pauperioris gratiam;* Trin. 34 *nimio pluris pauciorum gratiam faciunt pars hominum;* Capt. 986 *quoius nihili sit faciunda gratia;* Poen 823 *eius neclegere gratiam.*

honor. Trin. 644 *atque honori posterorum tuorum ut uindex fieres.*

immodestia. Amph. 163[b] *haec eri immodestia coegit me.*

industria. Merc. 1026 *ob senum industriam uos aecumst plaudere.*

infamia. Pers. 355 *hominum inmortalis est infamia.*

innocentia. Amph. 872 *si id Alcumenas innocentiae expetat.*

inpietas. Rud. 198 *eius med inpietas male habet.*

insania. Amph. 798 *tu quoque huius adiuuas insaniam.*

ira. Merc. 938 *matris iram neglego;* ib. 962; Amph. 896 *nunc insonti mihi illius ira in hanc et maledicta expetent.*

libertas. Bacch. 169 *istactenus tibi, Lyde, libertas datast orationis.*

---

[1]) De *quoius* pro *quoi* v. supra suff. *-ius* (p. 7).

malitia. Rud. 693 *malitiae lenonis contra incedam.*

miseria. Capt. 130 *propter sui gnati miseriam miserum senem.* Rud. 277 *miseriarumque te ambarum uti misereat.*

odos. Curc. 99 *omnium unguentum odos prae tuo nauteast;* Capt. 808 *sues, quarum odore praeterire nemo pistrinum potest;* ib. 814 *quorum odos subbasilicanos omnis abigit in forum.*

opulentitas. Mil. 1171 *quasique eius opulentitatem reuerearis.*

parsimonia. Truc. arg. 6 *lupae ni rapiant domini parsimoniam.*

patientia. Trin. 546 *sed Campans genus multo Surorum iam antidit patientiam.*

paupertas. Rud. 918 *paupertatem eri qui et meam sentilentam tolerarem.*

* **perennitas.** Pers. 330 *perennitatemque adeo huic perpetuet cibi;* dativum *cibo* praebent libri.

perfidia. Merc. 49 *perfidiam lenonum, iniustitiam expromere.*

pernicitas. Men. 867 *cursu celeri facite inflexa sit pedum pernicitas.*

pietas. Cas. 418 *pietate factumst mea atque maiorum meum* (v. genet. subiect. *facta*).

pollentia. Rud. 618 sq. *ne inpiorum potior sit pollentia quam innocentum* (*innocentium* Camerarius).

pondus. Pers. 244 *neque tippulai leuius pondust.*

potestas. Aul. 534 *in potestatest uiri;* Stich. 53 *in patris potestatest situm;* Most. 134 *in fabrorum potestate dum fui;* Cas. 282 *quoius potestas plus potest;* Stich. 69; Rud. 1379 *si uidulum hunc redegissem in potestatem eius.*

pudicitia. Epid. 405 *pudicitiam suae seruare filiae;* Amph. 811 *pudicitiae huius uitium est additum;* Epid. 110 *pudicitiae eius numquam uim attuli.*

sapientia. Capt. 275 *nam ad sapientiam huius nimiam nimius nugator fuit;* Trin. 163 *qui illius sapientiam ... pessum-*

dedit; Pers. 552 *haut potui . . . perspicere eius sapientiam* (*eius* addidit Ritschl).

stultitia. Most. 1157 *stultitiae adulescentiaeque ut eius ignoscas.*

uiolentia. Men. 330 *dum ego haec appono ad Volcani uiolentiam.*

uirtus. Most. 173 *uirtute formae id euenit;* Mil. 1211 similiter scripsit Ritschl, Goetz vero *ex uirtute formaque euenit* cet.; Asin. 556 *uirtute huius conlegae factumst;* Amph. 191 *ui et uirtute militum uictum atque expugnatum oppidumst;* Pseud. 581 *maiorum meum fretus uirtute;* Aul. 166 *uirtute deum et maiorum nostrum diues sum;* idem versus Capt. 324; Pers. 391; Trin. 346; Mil. 676 *deum uirtute est;* ib. 679; Trin. 355; Trin. 646 *eorum uirtute anteperta per flagitium perderes;* Asin. 547 *uirtute ulmorum freti.*

uis. Merc. 13 *ut alios in comoediis ui uidi amoris facere;* ib. 58; Trin. 658 *ui Veneris uictus;* Merc. 319 *atque id uei obtingit deum* (v. supra *uirtus*).

uitium. Most. 275 *quae uitia corporis fuco occulunt;* Poen. 1203 *multa mulierum sunt uitia.*

His apte subiunguntur:

ars. Trin. 236 *amoris arteis quem ad modum expediant eloquar.*

disciplina. Cas. 657 *imitatur malarum malam disciplinam.*

mos. Truc. prol. 13 *haec huius saecli mores in se possidet;* Asin. 73 *eos me decretumst persequi mores patris;* Amph. 154; Most. 286; Cas. 783 *noui hominum mores maleficos;* Pers. 385; ib. 550; Trin. 669; Truc. 99; Aul. 504 *moribus praefectum mulierum hunc factum uelim;* ib. 524; Stich. 104; ib. 107; Truc. 639; Trin. 292 *hi mores maiorum laudant;* ib. 1028 *utinam ueteres ueterum mores . . . in honore essent;* Pers. 707 *ita sunt Persarum mores;* Amph. 267 *decet et facta moresque huius habere me similes item;* Poen. 379; Poen. 1404 *quantum audiui ingenium et mores eius quo pacto sient;* ib. 984

tum ad horum mores linguam uortero; Bacch. 545 *edepol ne tu illorum mores perquam meditate tenes* (v. genet. subiect. *factum*, *sententia*). — In singulari numero ponitur *mos:* Truc. prol. 16 *ut mos est mulierum;* Aul. 246 *more hominum facit;* Cist. 620 *more maiorum date plausum;* Merc. 3; Trin. 1031; Rud. 346 *lenonum more fecit* (v. genet. subiect. *imperium*).

modus. Most. 139 *haec uerecundiam mi et uirtutis modum deturbauitque detexitque a me;* Mil. 791 *ex matronarum modo capite compto crinis uittasque habeat;* horum prior genetivus videtur cum obiectivis cognatus esse, posterior cum genetivo, qui ex *mos* pendet, comparari potest.

pax. Amph. 1127 *Iouis supremi multis hostiis pacem expetam;* Poen. 253 *quae ad deum pacem oportet adesse.*

Genetivis subiectivis proxime cognati sunt hi quoque genetivi, qui substantivis verbali notione praeditis tribuuntur:

facinus. Aul. 587 *hoc est serui facinus frugi facere.*

lucrum. Pers. 61 *unde hunc ego quaestum optineo et maiorum lucrum.*

munus. Asin. 812 *apud amicam munus adulescentuli fungare;* Men. 223 *parasitus hominum octo munus facile fungitur;* Poen. 1176 *deamauei ecastor illi hodie lepidissuma munera meretricum* [1]).

negotium. Stich. 4 *quorum negotiis absentum* [2]) *sollicitae sumus.*

officium. Aul. 593 *hoc serui esse officium reor* (suspect.); Most. 27 *hocine boni esse officium serui existumas;* Stich. 13. 14 *inprobi uiri officio uti*; ib. 297; Truc. 434 sq. *non amantis mulieris, sed unanimantis, solide fidentis fuit officium facere quod modo haec fecit mihi;* Cas. 585 *non matronarum officiumst, sed meretricium* [3]) *uiris alienis subblandirier.*

opus. Most. 412 *id uiri doctist opus;* Pseud. 140 *hoc eorum opust.* — Huc pertinent

---

[1]) *metricum* B, *metricium* DZ.

[2]) *absentium* A, *absentum* ceteri.

[3]) De *meretricium* v. supra p. 10 sq.

partes. Merc. 276 *similae partis ferat.*

prouincia. Capt. 474 *quae parasitorum ante erat prouincia.*

quaestus. Pers. 53 *ueterem atque antiquom quaestum maiorum meum seruo.*

uictoria. Pseud. 1170 *quanti te emit? — suarum in pugna uirium uictoria.*

regnum. Amph. 831 *per supremi regis regnum iuro;* Pseud. 15 *sub Veneris regno uapulo, non sub Iouis;* Mil. 950 *qui eius regnum tutarentur.*

Possessivis genetivis denique subiungo

semen. Stich. 169 *eius ex semine haec certost fames;* Rud. 327 *is huc erum etiam ad prandium uocauit, sceleris semen.*

sementium. Poen. 1312 *tune hic amator audes esse ..., sarrapis sementium.*

faenus. Most. 629 *adeo etiam faenus creditum argenti audio.*

Genetivus subiectivus.

Genetivus subiectivus, qui ex substantivis verbalibus pendet, quasi subiecti munere fungitur, cuius praedicatum est substantivum regens. Cum genetivo possessivo arte cohaeret. In multis vero exemplis ambiguum est, utrum obiectivo, an subiectivo sensu positus sit genetivus.

aduentus. Trin. 744 *si opperiri uis aduentum Charmidi;* Stich. 283; Merc. 236 *ait sese illius opera atque aduentu caprae flagitium et damnum fecisse;* Amph. 988 *ille nauem saluam nuntiat aut irati aduentum senis;* Most. 381; Truc. 204 *quoius nunc ista aduentum expetit.*

abitus. Amph. 645 *perferam usque abitum eius animo forti.*

amatio. Rud. 1204 *nimis paene inepta et odiosa eius amatiost.*

amor. Asin. 77 *uolo amori obsecutum illius;* genetivus subiectivus esse videtur, sed totum versum a Fleckeiseno aliisque seclusum approbant Goetz et Loewe. Pseud. 498 *qua propter gnati amoris te expertem habuerim.*

arbitratu. Rud. 1002 *uiduli arbitratu ita fit;* Trin. 990 *uapulabis meo arbitratud et nouorum aedilium;* Rud. 1002 *quoius arbitratu facere nos uis. — Viduli arbitratu ita fit;* ib. 1005 *quoius haec res arbitratu fiat;* Pseud. 271 *di te deaeque ament uel huius arbitratu uel meo;* Rud. 1035 *uin qui in hac uilla habitat eius arbitratu fieri.*

auspicium. Epid. 381 *uirtute atque auspicio Epidici cum praeda in castra redeo.* Amph. 192 *imperio atque auspicio mei eri Amphitruonis* (sc. expugnatumst oppidum).

auxilium. Pers. 83 *quoius mihi auxiliost opus.*

commeatus. Mil. arg. II, 11 *conmeatus clanculum qua foret amantum* pro obiectivo fortasse habendum est. — De Capt. 826 *conmeatus cibus* v. suff. *-us* p. 6.

conplexus. Asin. 643 *ego conplexum huius nil moror.*

conpressio. Pseud. 66 *conpressiones arte amantum*[1] *conparum . . . harunc uoluptatum uastities uenit* cet.

consilium. Merc. 348 *serui mei perplacet consilium;* Pseud. 678 *centum doctum hominum consilia sola haec deuincit dea;* Mil. 736 *qui deorum consilia culpet;* Bacch. 940 *ego sum Vlixes, quoius consilio haec gerunt.*

conspectus. Pseud. 1106 *ex conspectu eri sui se abdiderunt* potius subiectivo quam obiectivo sensu intellegitur. Amph. fragm. *VIII nilne te pudet, populi in conspectum ingredi;* Most. 1125 *ait se metuere in conspectum sui patris procedere.*

contagio. Amph. prol. 31 *contagione mei patris metuo malum.*

crepitus. Curc. 158 *sonitum prohibe forium et crepitum cardinum;* ib. 203 *sonitum et crepitum claustrorum audio.*

damnum. Mil. 699 *haec atque horum similia alia damna multa mulierum me prohibent uxore* videtur ad similitudinem subiectivorum genetivorum proxime accedere.

dictum. Epid. 321 *quomodo mi Epidici blanda dicta euenant;* Cas. 653 *timor praepedit dicta linguae;* Bacch. 449 *quom huius dicta intellego;* Cist. 271 *sed quom dicta huius interpretor.*

edictum. Men. 871 *imperium tuom demutat atque edictum Apollinis (maledictum* v. genet. poss. *ira).*

donum. Truc. 705 *nimium magnae mellinaest mihi, militis* (sc. dona) *odiosa ingrataque habita;* Truc. 617 *quorum dona accepta et grata habeo.*

factum. Stich. 305 *contundam facta Talthybi;* Rud. prol. 11 *qui facta hominum, animum, mores, pietatem et fidem noscamus;* Aul. 503 *ut matronarum hic facta pernouit probe;* Bacch. 951 *dum ibi facta exquirit Iliorum* (libri *illorum*); Amph. 267 *decet et facta moresque huius habere me*

---

[1]) Deteriores libri manuscripti habent *amantium.*

similes; Men. 590 *apud aediles pro eius factis plurumisque pessumisque deixei causam.*

benefacta. Stich. 303 *benefacta maiorum meum exaugeam;* Capt. 940 *pro benefactis eius uti ei pretium possim reddere.*

fremitus. Amph. 233 *boat caelum fremitu uirum.*

imperium. Amph. 262 *pergam eri imperium exequi;* ib. 622; Aul. 599; Men. 981; Pseud. 1103; Bacch. 459 *obediensquest mori atque imperiis patris;* Stich. 141; Amph. 192; Asin. 505 *qui expers matris imperio sies;* Amph. 991 *eius dicto imperio sum audiens;* Capt. 306 *nunc altrius imperio obsequor.*

inpulsu. Aul. 795 *me iniuriam fecisse filiae fateor tuae . . . inpulsu adulescentiae.*

indicium. Capt. arg. 9 *indicio quoius alium agnoscit filium.*

iniuria. Cist. 178 *eius se ex iniuria peperisse gnatam.*

iudicium. Pseud. 14 *nihil hoc Iouis ad iudicium attinet.*

* **iusiurandum.** Cist. 311 *similest ius iurandum amantum* (restitutum a Studemundo).

iussu. Amph. prol. 19 *Iouis iussu uenio;* Merc. 102 *ea nocte mecum illa hospitis iussu fuit;* Amph. prol. 17 *quoius iussu uenio;* ib. prol. 26; ib. 989 *eius iussu nunc huc me adfero.*

labor. Pseud. 5 sq. *duorum labori parsissem lubens: mei te rogandi et tis respondendi mihi* (v. genet. gerundii).

mandatum. Amph. 338 *mandata eri perierunt una et Sosia.*

meritum. Merc. 105 *dico eius pro meritis gratum me et munem fore.* Ablativus huius vocis *(merito)* cum genetivo iungitur Epid. 722 *mi euenisse intellego, ut liceat merito huius facere;* Poen. 882 *quod possiet facere, faciat, eius merito.* Quin etiam superlativus *(meretissumo)* similiter usurpatur Asin. 737 *meritissumo eius quae uolet faciemus.*

missu. Curc. arg. 1 *Curculio missu Phaedromi it in Cariam.*

opera. Bacch. 624 *perdidi me ac simitu operam Chrysali;* Cas. 550 *flagitium feci propter operam illius hirqui interpolis edentuli;* Epid. 120 *sed operam Epidici nunc me*

emere pretio pretioso uelim; Most. 112 *perdit operam fabri;* Cas. 551 *operam uxoris polliceor foras;* Pseud. 160 *omnium opera ego utor;* Asin. 425 *iussin columnis deici operas araneorum;* Stich. 348 *ut operam araneorum perdam;* Most. 136 *perdidi operam fabrorum ilico oppido;* Most. 1038 *seruorumque operam et lora mihi cedo;* Asin. 721 *opto annum hunc perpetuom mihi huius operas;* Cas. 603 *negauit eius operam se morarier.* Huc referendum videtur Bacch. 995 *ubi lubet, recita: aurium operam tibi dico* (cfr. Lorenz ad Pseud. 525). Uno loco pro pronomine possessivo ponitur genetivus pronominis personalis: Bacch. 1201 *tua sum opera et propter te inprobior. — ne tis*[1]) *quam mea mauellem* (sc. opera). Rud. 699 *quae elautae ambae sumus opera Neptunei noctu;* Epid. arg. 5 *mox conpressae ac militis cognoscit opera sibi senex os sublitum;* Merc. 236 *ait sese illius opera atque aduentu caprae ... damnum fecisse;* Cist. 139 *puellam peperit ... sine obstetricis opera;* Truc. 471 *matris opera mala sum;* Curc. 10 *egone apicularum congestum opera non feram;* Asin. 144 *nunc, quomst melius, me quoius operast ignoras, mala;* Epid. 716 *quoius haec hodie opera inuentast filia;* Pers. 761 *quorum opera haec mihi facilia factu facta sunt;* Rud. 203 *labor lenior esset hic mi eius opera.*

opinio. Mil. 1238 *ut opinione illius pulcrior sis* (v. praeterea genet. poss. *oculus*).

oratio. Stich. 748 *Veneris merast oratio;* Poen. 969 *cretast profecto haec horunc hominum oratio;* Stich. 183; Trin. 626; Merc. 514 *oratio edepol pluris est huius;* Epid. 103 *orationem unde horum persequar.*

oratu. Curc. arg. 8 *oratu quoius Phaedromo nuptum locat;* Cas. 775 *illarum oratu faciunt* (cfr. *iussu, missu,* cet.).

persuasu. Epid. arg. 2 *emit fidicinam senex persuasu serui.*

praesidium. Rud. 693 *praesidio Veneris malitiae lenonis contra incedam* (cfr. genet. obiect.).

probrum. Aul. 75 *quo pacto celem erilis filiae probrum.*

---

[1]) Ussing edidit *eius, tua* mavult Spengel.

quaestio. Trin. 1012 *si aberis ab eri quaestione.*

rumor. Cas. prol. 11 *postquam populi rumore intelleximus studiose expetere uos Plautinas fabulas.*

sauium. Trin. 242 *quom extemplo eius sauiis perculsus est* (v. praeterea genet. possess. *uoluptas*).

scitum. Pseud. 748 *plebi scitum non est scitius* (de forma *plebi* v. supra p. 2).

sententia. Curc. 217 *quando Aesculapi ita sentio sententiam;* Merc. 441 *potine ut ne licitere aduorsum mei animi sententiam;* ib. 597; Poen. 1411; Rud. 587; Mil. 129 *ego quoniam inspexi mulieris sententiam;* Most. 171 *ut lepide omnis mores tenet sententiasque amantum;* Truc. 961 *uerum utrique mos geratur amborum ex sententia* (cfr. genet. partit. *uterque*).

sermo. Pseud. 99 *ut litterarum ego harum sermonem audio;* Asin. 605 *huius sermonem accipiam;* Mil. 1000; Pseud. 201; ib. 208; Most. 1063 *gustare ego eius sermonem uolo;* Cas. 444 *captandust horum clanculum sermo mihi;* Pseud. 414; Epid. 238 *dissimulabam earum operam sermoni dare.*

sonitus. Stich. 88 *certo mihi paternae uocis sonitus auris accidit;* Men. 866 *facitote sonitus ungularum appareat;* Most. 933 *neque conuiuarum sonitust* (v. supra *crepitus*).

spes. Poen. 1188 *quem penes spes uitae sunt hominum;* Amph. 1053 *spes atque opes uitae meae iacent.*

spiritus. Bacch. 21 *scio spiritum eius maiorem esse multo.*

studium. Amph. 1004 *eius studio seruire addecet.*

suffragium. Bacch. 438 *nam olim populi prius honorem capiebat suffragio quam magistro desinebat esse dicto obediens;* Stich. 353 *sine suffragio populi aedilitatem hic quidem gerit.*

techinae. Capt. 641 *deartuatus sum miser huius scelesti techinis.*

tutela. Truc. 967 *eius haec in tutelast fabula.*

verbum. Mil. 1185 *matris uerbis Philocomasium accersito;* Trin. 772 *salutem ei nuntiet uerbis patris;* Trin. 215 *ego de eorum uerbis famigeratorum insciens prosilui amicum castigatum;* Bacch. 597 *quom ego huius uerba inter-*

pretor; Amph. 289; Truc. 794 *conueniunt adhuc utriusque uerba;* Trin. 204 *qui illorum uerbis falsis acceptor fui.*

Subiectivorum similes sunt hi quoque genetivi, quamquam verbalis natura nominum regentium minus est perspicua:

aerumna. Pers. 2 *superauit aerumnis suis aerumnas omnis Herculi* (de forma v. supra p. 2).

culpa. Most. 114 *atque ea haud est fabri culpa.*

honor. Trin. 482 *decedam ego de uia, de semita, de honore populi* videtur de illo honore dici, quem habet populus excellentibus viris; itaque genetivus subiectivus est (cfr. genet. obiect. et poss. *honor*).

malum. Trin. 122 *malumque ut eius cum tuo misceres malo; malum* pro *culpa* dici animadvertit Brix (cfr. genet. poss. *malum*).

mors. Truc. 456 *dolus ne occidat morte pueri;* Bacch. 954; Asin. 42 *usque ad mortem . . . uxoris dico, non tuam;* Asin. 531 *dum eius exspectamus mortem.*

uictus. Capt. 906 *nam si alia memorem, quae ad uentris uictum conducunt, morast.*

Genetivo subiectivo subiungo eos genetivos, qui ex ablativis *causa, gratia,* similibus pendent; magna enim est similitudo horum genetivorum cum eis, quos supra vidimus ablativis *iussu, missu, oratu* cet. adscribi. Qua de re quamquam accurate disputavit Loch (l. l. p. 20 sq.), ne is quidem omnia quae apud Plautum inveniuntur exempla ab Ebrardo (l. l. §§ 11—12) omissa protulit[1]). Infra equidem omnia enumerabo praeter genetivos gerundii nonnullos, quos alio loco adferam (v. genet. attrib.).

causa. Asin. 542 *sine med animi causa amare unum Argyrippum;* Cas. 151; Curc. 340; Epid. 45[2]); Merc. 341;

---

[1]) Pro genetivo pronominum personalium adiectiva possessiva usurpantur, pro genetivo pronominis interrogativi et relativi nonnumquam ponitur adiectivum *quoia* (saepius *qua*), item non in genetivo, sed in ablativo saepe apparent pronomina demonstrativa (cfr. Loch et Ebrard l. l.).

[2]) Epid. 91 *animi causa,* quod est in libris, delevit Goetz.

Rud. 932; Trin. 334; Epid. 286 *ne te censeat fili causa facere;* ib. 389; Most. 503 *hospes me hic necauit . . . , auri causa;* Amph. 917 *ioco illa dixeram dudum tibi, ridiculi causa;* Merc. 537 *neuter stupri causa caput limaret;* Trin. 180 *argentum dedi thensauri causa;* Truc. arg. 8 *natique causa dat propensa munera;* ib. 459 *lucri causa auare probrum sum exsecuta;* ib. 609 *tantilli doni causa . . . amas;* Pers. 339 *mirum quin regis Philippi causa aut Attali te potius uendam quam mea;* Aul. 121 *meai fidei tuaique rei causa facere;* Pers. 66 *puplicae rei causa quicumque id facit magis quam sui quaesti;* Poen. prol. 95 *huc commigrauit sui quaesti causa;* Aul. 360 *cenaene causa aut tuae mercedis gratia nos nostras aedis postulas conburere;* Cist. 38 *neque hanc superbiae causa ego reppuli ad meretricium quaestum;* Aul. 750 *excusemus ebrios nos fecisse amoris causa;* Asin. 822; Cas. 151; ib. 994; Mil. 1164; ib. 1286, 1308; Aul. 463 *qui simulauit mei se honoris mittere huc causa coquos;* Asin. 194; Merc. 527; Poen. 638; Stich. 338; Epid. 382 *non oris causa modo habere speculum;* Most. 597 *ne quo abeat foras urbe exulatum faenoris causa tui;* Poen. prol. 38 *neue ambitionis causa extrudantur foras;* ib. 1041 *dic atque impera, popularitatis causa;* Pers. 338 *tuin uentris causa filiam uendas tuam;* Rud. 145; Pseud. 121 *pietatis causa uel etiam matrem quoque* (sc. tange); Trin. 686 *sororis causa egestatem exsequi;* Amph. 1146 *Iouis summi causa clare plaudite;* Truc. 967 *Veneris causa plaudite;* Poen. 551 *horunc hic nunc causa haec agitur spectatorum fabula;* Pseud. 720; Most. 357 *qui hosticas trium nummum causa subeunt sub falas;* Trin. 848; Capt. 431 *horunc uerborum causa caue tu mi iratus fuas;* Capt. 1009 *et tu quoius causa hanc aerumnam exigo* (sc. salue); (de Mil. 1009 v. *gratia*); Most. 207 *gaudeo mihi nihil esse huius causa;* ib. 246 *ne eius causa uapulem, tibi potius adsentabor;* Trin. 1090 *quorum causa fui hac aetate exercitus;* Mil. 756 *quod eorum causa obsonatumst.*

gratia. Amph. 682 *quid tu me deridiculi gratia sic salutas;* Capt. 98 *hic homo occepit quaestum hunc fili gratia;* Epid. 275 *quasi tu cupias liberare fidicinam animi gratia;* Cist.

142 *suppositionem eius rei facere gratia*; Mil. 103 *is publice legatus Naupactum fuit magnai rei publicai gratia*; Amph. 486 *Alcumenae honoris huius gratia pater curabit* cet.; ib. 867; Asin. 191 *aetatis atque honoris gratia hoc fiet tui*; Aul. prol. 25; Curc. 549; Mil. 620; Aul. 360 *cenaene causa aut tuae mercedis gratia nos nostras aedis postulas conburere*; Mil. 626 *hancine aetatem exercere mei me amoris gratia*; Mil. 1009 *quoius gratia foras sum egressa*; metri causa Mueller (Pros. p. 184) codicum *causa* in *gratia* commutavit; quod et Brix et Goetz receperunt. Epid. 629 *si quidem istius gratia id remoratus quod ista uoluit.* — Huc accedunt

ingratiis. Cas. 315 *uobis inuitis atque amborum ingratiis . . . liber possum fieri.*

uitio. Aul. 745 *quia uini uitio atque amoris feci*; Truc. 828 *quod animi inpos uini uitio fecerim*; Pers. 49 *amoris uitio, non meo nunc tibi morologus fio.*

uicem. Capt. 526 *oppetamque pestem mortemque eri uicem*; Amph. 334 *metuo uocis ne uicem hodie hic uapulem*; Capt. 397 *eum remittat nostrum huc amborum uicem*; Rud. 814 *uos respondetote istinc istarum uicem*; Truc. 158 *ea omnia tibi dicis, Diniarche, et nostram et illorum uicem.*

Genetivus attributivus (sive appositivus).

Genetivi casus, qualiscumque ab initio eius fuit natura, in quotidiano sermonis usu fines suos tam late protulit, ut in multas partes diffusa significatio eius sensim evanesceret et solveretur. Ac praesertim adnominalis qui dicitur usus eius et latissime patet et, si principales eius notiones quaeras, ambiguus est. Hunc haud sine causa genetivum attributivum[1]), quem appositivum vocant alii, statuunt grammatici, qui per se nihil aliud fere significare videatur, quam quod aut adiectivo aut substantivo attributi loco adhibito exprimi solet. Iam inter eos, quos possessivos esse voluimus, multos huiusmodi genetivos invenias; quos, cum possessivam quandam naturam praebere viderentur, huc referre noluimus.

Primo loco eum genetivum tractabo, cuius notione continetur et quasi definitur significatio alterius substantivi (**genetivus definitivus** sive epexegeticus). Huius modi genetivi neque apud Plautum neque omnino in prisca latinitate inveniuntur multi (Loch. p. 3 sq.). Apud Plautum hos genetivos definitivos esse censui:

nomen. Pseud. 1108 *ei nomen Seruitutis ferunt.* Dubitationem adferunt Pseud. 989 *heus, Polymachaeroplagidi*[2]) *nomen est*; Pseud. 991 *postquam Polymachaeroplagidae elocutus nomen es.* Priore enim loco utrum dativus an genetivus intellegendus sit, dubius haereo, posteriore loco gene-

---

[1]) Attributivum malui dicere, ne cum appositione confundatur, quae tum commodius ponitur, cum pro enuntiato secundario sive adiectivum sive substantivum apponitur substantivo.

[2]) *Polymachaeroplagidei* scripsit Studemund.

tivus possessivus potest esse. Pers. 624 *Lucridei nomen in patria fuit* (sc. mihi); hoc loco dativus videtur intellegendus esse; qui casus in similibus exemplis apud Plautum longe usitatissimus est [1]).

genus. Poen. 1187 *qui genus colis alisque hominum:* quem genetivum materiae quam definitivum appellari maluit Loch (p. 5). Neque cum genetivis quantitatis non cognatus esse videtur (v. ibi *genus*). Huc referendum censeo Epid. 18 *caprigenum* [2]) *hominum non placet mihi neque pantherinum genus.*

prosapia. Curc. 393 *de Coculitum prosapia te esse arbitror;* hic quoque genetivus pro definitivo mihi quidem est. Neque dubitaverim eodem referre

donum. Truc. 609 *tun tantilli doni causa holerum atque escarum et poscarum . . . tympanotribam amas hominem.* — Coniectura Schoellii est

* **damnum.** Truc. 561 *nam damnum hoco bsoni de mina una deminui modo*; *iam de hoc obsonio* habent libri.

pignus. Amph. prol. 68 *in cauea pignus capiantur togae.*

Genetivo attributivo subiunxerim **genetivum gerundii et gerundivi,** quem totum uno loco tractatum volui, quamquam aliis substantivis adscriptus (adiectivis nusquam apud Plautum subiungitur) alio sensu accipiendus videbatur.

conpendium. Pseud. 605 *conpendium ego te facere pultandi uolo* videtur obiectivo sensu accipi posse (cfr. infra *conpendi facere*).

causa. Men. 687 *neque edepol te defrudandi causa posco.* Gerundivum ponitur Capt. 879 *liberorum quaerendorum causa ei credo uxor datast.*

---

1) Cfr. Becker in Studemundi Stud. I p. 170 not. 2, ubi et de dativo accurate agit et duos profert praeterea dubios genetivos (= dat. in R²).

2) *caprigenum* edidit Goetz; *capreaginum,* quod est in A, defendit Ussing (v. comment. eius).

copia. Epid. 162 *non tibi dormitandi neque cunctandi copiast;* Mil. 1226 *uix fuit copia adeundi atque impetrandi;* Pers. 539 *ut tibi recte conciliandi primo facerem copiam;* Rud. 765 *siquidem in capite tuo conflandi copiast* (versum seclusit Schoell); Trin. 1131 *repetundi id copiast;* Bacch. 487 *ut opinor illius inspectandi mi esset maior copia;* Capt. 748 *ut mi eius facias conueniundi copiam;* Merc. 850 *date di quaeso conueniundi mi eius celerem copiam.* Accedunt singulares quaedam genetivi constructiones: Truc. 370 *quia tui uidendi copiast;* in hoc exemplo animadvertendum est, formam in *-ndi* exeuntem adhibitam esse, quamquam *tui* de femina dicitur. Dubitat Holtze (II p. 54) cum Weissenbornio, utrum gerundii potius quam gerundivi genetivum esse maluerint Latini, an terminationis magis quam personae rationem habuerint (cfr. Kuehner II § 132, 11). Simile est Capt. 1008 *quia mi item ut parentes lucis das tuendi copiam;* quamquam *lux* apud Plautum plerumque masculini generis esse animadvertit Loch (p. 7); Capt. 852 *nominandi istorum tibi erit magis quam edundi copia* (cfr. Brixii adn. ad h. l.).

exemplum. Mil. 638 *ut aput te exemplum experiundi habeas* (*experiundo* Brix).

exercitus. Capt. 153 *quia nunc remissus est edundi exercitus.*

fictor. Trin. 366 *qui se fictorem probum uitae agundae esse expetit* genetivus obiectivus est.

gratia. Curc. 706 *dicundi, non rem perdundi gratia haec natast mihi.*

labor. Pseud. 6 *duorum labori parsissem lubens: mei te rogandi et tis respondendi mihi* singularis est constructio. Pro meo, tuo ad *labori* relatis appositionis loco ad *duorum* referuntur genetivi *mei* et *tui*, qui possessivi sunt (v. Lorenz ad h. l., Holtze l. l. et cfr. genet. subiect. *tis* opera).

locus. Capt. 212 *aequiter nobis detis loquendi locum;* ib. 603.

lubido. Trin. 745 *huic ducendi* (sc. uxorem) *interea apscesserit lubido.*

occasio. Amph. fragm. *XV... abitendi nunc tibi occasiost;* Capt. 117 *fugiendi si datast occasio;* Epid. 271 *nunc occasiost faciundi* (v. *tempus*).

optio. Cas. 190 *nec mihi ius meum optinendi optiost* genetivi obiectivi speciem prae se fert.

pars. Asin. 515 *meam partem loquendi trado tibi* (cfr. genet. quant. *pars*).

potestas. Epid. 14 *vix apiscendi potestas modo fuit;* Mil. 1010 *utinam... conueniundi mihi potestas euenat;* Stich. 117 *quoi male faciundist potestas;* ib. 280 *potestas adipiscundist gloriam;* Amph. 638 *dum uiri mei fuit mi potestas uidendi*; Truc. 293 *quasi uero corpori reliqueris tuo potestatem coloris ulli capiendi.*

satietas. Poen. 215 *neque eis ulla ornandi satis satietas est.*

sermo. Poen. prol. 34 *domum sermones fabulandi conferant.*

spatium. Aul. 806 *spatium ei dabo exquirendi meum factum;* Capt. 743 *breue spatiumst perferundi quae minitas mihi.*

spes. Rud. 1145 *huc opesque spesque uostrum cognoscendum condidi.*

tempus. Bacch. 773 *nunc est mihi adeundi ad hominem tempus;* Merc. 915; Pers. 469; Trin. 432; Poen. 741 *tacendi tempus est;* Trin. 999 *loquendi libere uidetur tempus euenisse atque occasio.*

uia. Poen. 629 *ego male loquendi uobis nesciui uiam.*

Denique hic ȧdnotandum est Rud. 1374 *iusiurandum rei seruandae, non perdundae conditumst;* qui si genetivus est, finalem habet vim, sicut apud posteriores scriptores usurpantur huiusmodi genetivi. Sed videtur pro dativo haberi posse (cfr. Loch p. 7).

Denique in unum locum omnes congessi genetivos, quorum significatio adeo erat ambigua, ut nisi relationem

quandam duorum nominum sive concretorum sive abstractorum nihil fere exprimere viderentur; **genetivos relationis** appellaverim. Horum tamen quidam genetivis possessivis aliquantum similes sunt, definitivi speciem prae se ferunt multi, alii aliter intellegi possunt.

Inter hos genetivos primum locum occupant ii, qui de hominibus vel personis ponuntur et in conviciis maxime usurpantur.

Accheruns. Amph. 1029 *me rogitas, ulmorum Accheruns;* ad genetivi quantitatis similitudinem nonnihil accedere videtur (cfr. Schaaff p. 14).

deliciae. Pers. 204 *Paegnium, deliciae pueri salue;* definitivus maxime est genetivus. Nomen regens pro adiectivo fere ponitur (cfr. *flagitium, mendicabula, scelus* cet.). Aliter ponitur *deliciae* cum genetivo possessivo (v. p. 127).

filum. Merc. 755 *satis spissum filum mulieris.*

flagitium. Asin. 473 *flagitium hominis, da, obsecro, argentum huic* (= flagitiosus); Cas. 152; Men. 489; ib. 709.

flagrantia. Rud. 733 *etiam uim porces, flagiti flagrantia.*

fons. Truc. 612 *ero maldicere audes, fons uiti et periuri.*

frustum. Pers. 849 *loquere tu etiam, frustum pueri.*

gymnasium. Asin. 297 *gymnasium flagri, salueto.*

hallex. Poen. 1310 *tune hic amator audes esse, hallex uiri* (= suavissimus, Draeger I p. 467).

labes. Pers. 408 *iniure, inlex, labes popli.*

lasciuia. Asin. 298 *o catenarum colone, o uirgarum lasciuia;* illum genetivum inter possessivos numerari posse censuimus, hunc Lambinus explicat „in cuius tergo lascivire et exsultare solent virgae" (Holtze I p. 3).

loculi. Cas. 447 *candidatus cedit hic mastigia, stimulorum loculi.*

mendicabulum. Aul. 703 *istos reges ceteros memorare nolo regum*[1] *mendicabula* (= mendicos).

---

[1]) *hominum* libri.

monstrum. Poen. 273 *monstrum mulieris* (= monstruosa).

odium. Mil. 923 *populi odium quidni nouerim;* Bacch. 820 *terrae odium iam pridem ambulat;* ib. 822; Rud. 319 *(ecquem senem uidistis)... deorum odium atque hominum.*

scelus. Curc. 614 *quam abduxisti, scelus uiri* (= scelestus); Mil. 1434; Truc. 621; Pers. 192 *scelus tu pueri's;* Rud. 1178 *ecce Gripi scelera* [1]). Huc accedit Pseud. 817 *teritur sinapis scelera.*

seges. Aul. 45 *tibi ego rationem reddam, stimulorum seges* (cfr. *loculi*).

stabulum. Truc. 589 *quae sis stabulum flagiti;* Cas. 160 *stabulum nequitiae;* Pers. 418 *stabulum seruitutium.* Aliter se habet Most. 350 *nusquam stabulumst confidentiae,* quod non de homine praedicatur (cfr. Lorenz ad h. l.).

sublingulo. Pseud. 893 *scelestus est, coqui sublingulo;* genetivus pro possessivo haberi potest.

suduculum. Pers. 419 *suduculum flagri.* — His addam

cribrum. Most. 55 *o carnuficium cribrum;* genetivus videtur esse *carnuficium* (quidam codd. formam *carnuficum* praebent) [2]).

Ceteri genetivi, qui huc referri possunt, hi sunt:

auctio. Men. 1157 *auctio fiet Menaechmi mane sane septemi.*

causa. Stich. 207 *dicam auctionis causam, ut damno gaudeant.*

clientela. Rud. arg. 4 *ea in clientelam ipsipte inprudens patris naufragio eiecta deuenit* (cfr. *servitus*).

emolumentum. Trin. 694 *tibi sit emolumentum honoris.*

exemplum. Poen. 298 *ubi exempla conferentur meretricum aliarum.*

---

[1]) Rud. 456 *scelus lenonis* Mueller coniecit; *scelestus leno* edidit Schoell.

[2]) Curc. 192 *Ebriolae's persolla, nugae* edidit Goetz, genetivum „generis" constituit Ussing: *Ebriolae persollae nugae* (= nugatoria) scribens.

macula. Poen. 198 *inest amoris macula huic homini in pectore;* Capt. 841 *iam ego ex corpore exigam omnis maculas maerorum tibi.*

nugae. Pseud. 1081 *quid dixit tibi? — nugas theatri.*

onus. Truc. 519 *quique mihi magni doloris onus per uoluptatem tuam condidisti in corpus;* aut possessiva aut definitiva natura videtur hic genetivus esse.

praedium. Truc. 214 *fundi et aedis obligatae sunt ob Amoris praedium;* sic ex A scripsit Schoell, ceteri codices *prandium* habent, quod vulgo explicatur esse amor (genet. definit.).

seruitus. Capt. 335 *priuatam medici Menarchi* (sc. seruitutem seruit[1]).

sors. Most. 561 *qui mihi nec faenus nec sortem argenti danunt.*

spolia. Mil. 599 *ne quis nostri spolia capiat consili,* genetivum definitivum esse explicat Lorenz.

supplicium. Mil. 502 *nisi mihi supplicium uirgarum de te datur.*

toxicum. Cist. 254 *uideo ego te amoris ualde tactum toxico.*

uirtus. Epid. 438 *uirtute belli armatus promerui, ut* cet.

conciliabolum. Trin. 314 *ubi esset damni conciliabolum.* Hunc et sequentem genetivum inter genetivos materiae numerat Loch.

hospitium. Trin. 553 *hospitiumst calamitatis.*

senatus. Most. 688 *dum mihi senatum consili in cor conuoco;* Most. 1049 *ut senatum congerronum conuocem*[2]).

summa. Truc. 25 *Venus, quam penes amantum summa summarum redit* (v. genet. quant.).

turba. Amph. 224 *extra turbam ordinum conlocuntur simul.*

---

[1]) Conferri potest Amph. 166 ***opulento homini seruitus,*** i. e. quae opulento homini seruitur (Ussing).

[2]) Epid. 159 ***iam senatum conuocabo in corde consiliarium;*** adiectivum est ***consiliarium*** (cfr. Truc. 216 ***magisque adeo ei consiliarius hic amicust).***

Hic locos nonnullos tractabo, ubi utrum genetivum ad *res* referam an aliter explicem, satis certus non sum (cfr. genet. quantit. *parua res*); Aul. 803 *haec propemodum iam in uado salutis res uidetur;* hic genetivus et ad *uado* et ad *res* videtur referri posse: cum illo nescio an potius coniunxerim. Asin. 219 *rem soluont aucupi;* pro dativo *aucupi* potius habetur ex *soluont* pendenti, quam pro genetivo ad *rem* relato. Trin. 629, *si in rem tuam, Lesbonice, esse videatur, gloriae aut famae, sinam;* hic dubitat Brix, utrum genetivus an dativus intellegendus sit: neutrum approbat et locum corruptum esse putat. Ussing genetivum ex *esse uideatur* pendere censet, ut „in rem tuam". Equidem de genetivo nihil dubito, sed exemplo Ciceroniano commotus, quod adfert Auber (l. l. p. 34): *nonnullis rebus (inferiorem quam te), generis et nominis dico* (pro Planc. 12, 30), epexegetice ad *rem tuam* genetivum referam.

Postremo genetivo relationis nonnullos genetivos ex verbis pendentes subiungere volui, quod quomodo explicandi essent, certus non eram. Ab aliis aliter explicantur (cfr. Loch. p. 27).

compendi *facere,* Bacch. 183 *compendi uerba multa iam faciam tibi;* Most. 60 *orationis operam compendi face;* Pers. 471 *ego hodie conpendi feci binos panes in dies;* Poen. 351 *sei sapias curam hanc facere conpendi potes;* Pseud. 1141 *operam fac compendi quaerere;* Truc. 377 *si quid tibi conpendi facere possim.* Passive usurpatur verbum Asin. 307 *uerbiuelitationem fieri conpendi uolo;* Capt. 965 *sed iam fieri dicta conpendi uolo;* librorum scriptura *dictis conpendium* ita emendata est.

Alius est genetivus, qui ex *compendium facere* („ersparen" Lorenz ad Pseud. 584) pendet: Pseud. 605 *conpendium ego te facere pultandi uolo;* Rud. 180 *si ad saxum, quo capessit, ea deorsum cadit, errationis fecerit conpendium;* Stich. 194 *haec verba subigunt me ... ut faciam praeconis compendium.*

His conferri possunt Mil. 781 *quam potis tam uerba confer maxume ad conpendium*; Cas. 517 *id ponito ad compendium*; ib. 518 *eo addito ad compendium*; ib. 519 *id quoque illuc ponito ad compendium.*

lucri *facere.* Bacch. 859 *nihil est lucri quod me hodie facere mauelim;* vulgo post *lucri* interpungitur, sed non dubito quin ad *facere* rectius Ritschl *lucri* retulerit. Most. 354 *qui facere argenti cupiat aliquantum lucri;* Pers. 668 *non edepol minis trecentis carast: fecisti lucri* (absol.); ib. 713 *nam non emisti hanc, uerum fecisti lucri;* Poen. 771 *me esse hos trecentos Philippos facturum lucri;* Truc. 690 'A' *facio lucri.* — Truc. 426 *lucri hercle uideor facere mi, uoluptas mea, ubi quippiam me poscis; lucri* pro codicum *lucrum* Kiesslingium secutus scripsit Schoell, quod dubito num necessarium sit (cfr. Pers. 503 *ego ualeo recte et rem gero et facio lucrum*). Codicum scripturam retinuit Ussing.

damni *facere.* Merc. 419 *multo edepol, si quid faciendumst, facere damni mauolo, quam obprobramentum aut flagitium muliebre exferri domo.*

Inter genetivos quantitatis hos posui genetivos, cum potius ad nomen quam ad verbum referendi esse viderentur: Bacch. 1032 *quam propter tantum damni feci et flagiti;* Asin. 182 *neque ille scit quid det, quid damni faciat;* Pseud. 440 *nam tu quod damni et quod fecisti flagiti, populo uiritim potuit dispertirier.* — Conferendum est Merc. 237 *ait sese . . . flagitium et damnum fecisse haud mediocriter.*

sumpti *facere.* Cas. 425 *et praeter operam restim sumpti fecerim.* Ex pronomine magis fortasse quam ex verbo pendet genetivus Trin. 250 *quod bibit, quod comest, quod facit sumpti* [1]).

His adiungam genetivos *operae* et *copiae* ex *esse* verbo pendentes.

operae *est.* Merc. 917 *operae non est;* Mil. 252 *operae non est;* ib. 818 *non operaest;* Pseud. 377 *operae si sit, plus tecum loquar;* Truc. 883 *operae mi ubi erit, ad te uenero.* —

[1]) Cas. 200 *quando habet, partum ei haud commodest* edidit Schoell Lipsium secutus; *commodi est,* quod habent libri, vix defendi possit.

Praeterea Merc. 10 *si operaest auribus* librorum *opera* in *operae* commutavit Bothe, quem sequitur Goetz. Merc. 286 *dicam, si uideam tibi operam esse aut otium* edidit Goetz secundum codices, Muellero vero *operam* displicuit; quare *operae* coniecit, eique adsentitur Brix (ad Mil. 253). De Amph. prol. 151 *operae pretium* v. supra genet. obiect., ubi similes loci omnes tractati sunt.

copiae ex *esse* pendet Bacch. 422 *nego tibi hoc annis uiginti fuisse primis copiae;* Cas. 810 *illo morbo, quo dirumpi cupio, non est copiae* [1]). Prius vero exemplum, cum ad *hoc* quoque pronomen genetivus quodam modo referri posse videretur, supra inter genetivos quantitatis posui.

Nominativus in simili sententia ponitur Mil. 1041 *multae idem istuc cupiunt, quibus copia non est;* Capt. 216 sq. *quom quae uolumus nos copiast* (cfr. genet. obiect.).

Genetivus exclamationis unus apud Plautum invenitur: Most. 912 *di immortales, mercimoni lepidi.*

---

[1]) *copiae* A, *copia* B (quod retinuit Ussing).




121473



